Table.

DAVIDIS

SUSPIRIA

EXCERPTA A PETRO

DESCHAMPSNEUFS

Soc. Jesu Sacerdote.



AVENIONE.

1837.



DAVIDIS

SUSPIRIA

PURGATIVÆ VITÆ

RESPONDENTIA.

Multorum ac gravium criminum reum se fatentis.

INIQUITATES meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. *Psal.* 37.

Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non abscondi. 31.

Iniquitatem meam ego cognosco; et peccatum meum contra me est semper. 50.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. 50.

Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea à te non sunt abscondita. 68.

Peccavimus cum patribus nostris: injustè egimus, iniquitatem fecimus. 105.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. 118.

Criminum suorum veniam rogantis.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. *Psal.* 18.

Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo; multum est enim. 24.

Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris. 24.

Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. 40.

Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. 50.

Ampliùs lava me Domine ab iniquitate mea, et à peccato meo munda me. 50.

Averte faciem tuam à peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele. 50.

Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. 56.

Propter gloriam nominis tui libera nos, et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum. 78.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi totâ die : lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi. 85.

Hortantis peccatores ad agendam pœnitentiam.

Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. *Ps.* 4.

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis, *etc.* 7.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. 31.

Cor contritum et humiliatum Deus non despicies. 50.

Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. 94.

Divinam vindictam timentis et deprecantis.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Ps.* 6.

Non avertas faciem tuam à me, et ne declines in ira à servo tuo. 26.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; citò anticipent nos misericordiæ tuæ. 78.

Converte nos Deus salutaris noster, et averte iram tuam à nobis. 84.

Numquid in æternum irasceris nobis, aut extendes iram tuam à generatione in generationem? 84.

Non secundùm peccata nostra facias nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuas nobis. 102.

Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? 129.

Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. 142.

Divino timore perculsi.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. *Psal.* 37.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? 75.

In me transierunt iræ tuæ : et terrores tui conturbaverunt me. 87.

Quis novit potestatem iræ tuæ, aut præ timore tuo iram tuam dinumerare? 89.

Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget. 91.

Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. 118.

Dei timorem inculcantis.

Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. *Psal.* 2.

Timeat Dominum omne semen Israël : quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis. 21.

Firmamentum est Dominus timentibus eum. 24.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. 30.

Oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus. 32.

Venite et videte opera Domini, terribilis in consiliis super filios hominum. 65.

Timeat Dominum omnis terra. 32.

Timete Dominum omnes sancti eſus : quoniam non est inopia timentibus eum. 33.

Sanctum et terribile nomen ejus, initium sapientiæ timor Domini. 110.

Timeant gentes nomen tuum Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam. 110.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. 102.

Misericordia Domini ab æterno usque in æternum, super timentes eum. 102.

Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis : Potens in terra erit semen ejus : Gloria et divitiæ in domo ejus. 111.

Voluntates timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet. 144.

Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus. 146.

Implorantis divinam misericordiam.

Salvum me fac Deus, propter misericordiam tuam. *Psal.* 6.

Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te. 16.

Secundùm misericordiam tuam memento mei tu; propter bonitatem tuam Domine. 24.

Reminiscere miserationum tuarum, et misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt. 24.

Salvum me fac in misericordia tua: Domine non confundar, quoniam invocavi te. 30.

In Domino speravi, exultabo et lætabor in misericordia tua. 30.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te. 32.

Sicut oliva fructifera in domo Domini, speravi in misericordia Dei in æternum, et in seculum seculi. 51.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me. 68.

Deus patiens et multæ misericordiæ, respice in me et miserere mei. 85.

Adjuva me Domine Deus meus, salvum me fac secundùm misericordiam tuam. 108.

Vocem meam audi secundùm misericordiam tuam. 118.

Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam. 118.

Odio flagrantis erga transgressores legis divinæ.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. *Psal.* 6.

Odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo. 25.

Quis consurget mihi adversùs malignantes : aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitatem? 93.

Facientes prævaricationes odivi. 100.

Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. 118.

Non habitabit in medio domûs meæ qui facit superbiam. 100.

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. 100.

Nonne qui oderunt te Domine, oderam : et super inimicos tuos tabescebam? 138.

Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi. 138.

Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. 118.

Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi. 118.

Zelo divinæ justitiæ in peccatores æstuantis.

Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. *Ps.* 2.

Loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos. 2.

Exaltare Domine in ira tua, et exaltare in finibus inimicorum tuorum. 7.

Inveniatur manus tua inimicis tuis: et dextera tua inveniat omnes qui te oderunt. 20.

Erubescant impii, et deducantur in infernum. 30.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus; et fugiant qui oderunt eum, à facie ejus. 67.

Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. 67.

Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes. 54.

Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem. 58.

Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos. 68.

Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur. 68.

Appone iniquitatem super iniquitatem, et non intrent in justitiam tuam. 68.

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt : et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt. 78.

Imple facies eorum ignominiâ, et quærent nomen tuum. 82.

Erubescant et conturbentur in seculum, et confundantur, et pereant.

Et cognoscant quia tibi nomen Dominus : tu solus Altissimus in omni terra. 82.

Deus meus pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti. 82.

Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur ? 93.

Deficiant peccatores et iniqui à terra, ita ut non sint. 103.

Certum peccantibus exitium denuntiantis.

Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos. *Ps.* 2.

Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. 5.

Vultus Domini super facientes mala; ut perdat de terra memoriam eorum. 33.

Maledicti qui declinant à mandatis tuis. 118.

Pluet super peccatores laqueos; ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum. 10.

Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum à filiis hominum. 20.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : et dextera tua inveniat omnes qui oderunt te. 20.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultûs tui. Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis. 20.

Injusti punientur, et semen impiorum peribit.

Justi autem hæreditabunt terram, et inhabitabunt in seculum seculi super eam. 36.

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.

Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum citò decident. 36.

Observat peccator justum, et stridet dentibus super eum.

Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quòd veniet dies ejus. 36.

Adhuc pusillum, et non erit peccator: quæres locum ejus, et non invenies. 36.

Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.

Quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam. 72.

Nomen eorum delesti in æternum, et in seculum seculi. 9.

Comminuam eos ut pulverem ante faciem venti: ut lutum platearum delebo eos. 17.

Qui elongant se à te peribunt: perdes omnes qui fornicantur abs te. 72.

Res caducas flocci facientis, et earum contemptum prædicantis.

Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? *Psal.* 3.

Periit memoria illorum cum sonitu, et Dominus in æternum permanet. 9.

Tanquam fœnum velociter ares-

cent, et quemadmodum olera herbarum citò decident. 36.

Universa vanitas omnis homo vivens. 38.

Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus ; et non respexit in vanitates, et insanias falsas. 39.

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. 61.

Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit. 89.

Anni nostri sicut aranea meditabuntur. 89.

Tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes; tu idem ipse es, et anni tui non deficient. 101.

Averte oculos meos ne videant vanitatem. 118.

Illudentis temporariæ impiorum hominum felicitati.

Periit memoria illorum cum sonitu. *Psal.* 9.

Noli æmulari in eo qui prosperatur, in homine faciente injustitias.

Adhuc pusillum, et non erit peccator; quæres locum ejus, et non invenies. 36.

Inimici Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, quemadmodum fumus deficient. 36.

Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani : et transivi, et ecce non erat; quæsivi eum, et non est inventus locus ejus. 36.

Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas. 36.

Exspecta Dominum, et custodi viam ejus, et exaltabit te : cùm perierint peccatores videbis. 36.

Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. 38.

Simul insipiens et stultus peribunt, relinquent alienis divitias suas, et sepulcra illorum domus eorum in æternum. 48.

Homo cùm in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. 48.

Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo; et cùm multiplicata fuerit gloria domûs ejus.

Quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. 48.

Videbunt justi, et timebunt, et su-

per eum ridebunt, et dicent : Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.

Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua. 51.

Velut somnium surgentium Domine, ipsorum imaginem ad nihilum rediges. 72.

Dormierunt somnum suum viri divitiarum, et nihil invenerunt in manibus suis. 75.

Auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur. 103.

Demissè de se et omni homine sentientis.

Quid est homo, quòd memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? *Psal.* 8.

Ego sum vermis et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis. 21.

Substantia mea tanquam nihilum ante te. 38.

Memorare quæ mea substantia? 88.

Recordare Domine quia pulvis sumus. 102.

Homo sicut fœnum dies ejus, tan-

quam flos agri sic efflorebit. 102.

Sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. 102.

Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei :

Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. 130.

Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quia reputas eum? 143.

Expostulantis cum Deo se ejus ope destitutum.

Ut quid Domine recessisti longè? despicis in opportunitatibus, in tribulatione? *Psal.* 9.

Usquequo Domine oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam à me? 2.

Deus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? 21.

Exurge, quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas in finem. 43.

Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ et tribulationis nostræ? 43.

Domine Deus virtutum, quousque

irasceris super orationem servi tui? 79.

Ut quid Domine repellis orationem meam, avertis faciem tuam à me? 87.

Usquequo Domine oblivisceris me in finem? exardescet sicut ignis ira tua? 88.

Deum rogantis ne ejus ope ullo tempore destituatur.

Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. *Psal.* 21.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris à me. 37.

Usque in senectam et senium, Deus ne derelinquas me.

Ne projicias me in tempore senectutis : cùm defecerit me virtus mea, ne derelinquas me. 70.

Opera manuum tuarum ne despicias Domine. 137.

Initio cujusvis operis Dei manum implorantis.

Exurge in adjutorium mihi. *Ps.* 34.

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ. 37.

Exurge Domine, adjuva nos, propter nomen tuum. 43.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina. 69.

Respice in servos tuos Domine, et in opera manuum nostrarum; et opera manuum nostrarum dirige. 89.

Adjuva me Domine Deus secundùm misericordiam tuam. 108.

Præsens auxilium Deum rogantis.

Domine ne elongaveris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice. *Psal.* 21.

Deus meus es tu: ne discesseris à me, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet. 21.

Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me. 30.

Ne longè facias miserationes tuas à me: quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus. 39.

Adjutor et protector meus es tu, Deus meus ne tardaveris. 39.

Exurge, quare obdormis Domine, exurge, et ne repellas in finem. 43.

Ne avertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me. 68.

Adjutor et protector meus es tu; Domine, ne moreris. 69.

Ne avertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, velociter exaudi me. 101.

Velociter exaudi me, Domine; defecit spiritus meus. 142.

In gravi corporis aut animæ periculo, rogantis divinam opem.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te. *Psal.* 15.

Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me. 53.

Inclina ad me aurem tuam, et salva me. 70.

Adjuva nos Deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos. 78.

Intende animæ meæ, et libera eam. 68.

Excita Domine potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. 79.

O Domine salvum me fac. 117.

Tuus sum ego, salvum me fac. 118.

Adjuva me Domine, et salvus ero. 117.

Fiat manus tua ut salvet me. 118.

Salvum me fac, Domine, in misericordia tua : non confundar, quoniam invocavi te. 30.

Ex gravi et urgenti vexatione liberari cupientis.

Circumdederunt me mala, quorum non est numerus : comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem te.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine ut eruas me : Domine, ad adjuvandum me respice. *Psal.* 39.

Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi, *etc.* 68.

Eripe me de luto, ut non infigar; libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Exaudi Domine, quoniam benigna est misericordia tua : secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me. 68.

De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ. 129.

Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. 141.

Emitte manum tuam de alto, et eripe me, et libera me de aquis multis. 143.

Animæ salutem Deo commendantis.

Dic animæ meæ : Salus tua ego sum. *Psal.* 34.

Ne perdas cum impiis Deus animam meam. 25.

Miserere mei Domine, sana animam meam, quia peccavi tibi. 40.

Intende animæ meæ, et libera eam. 68.

Custodi animam meam : salvum me fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. 85.

Educ de tribulatione animam meam, quoniam ego servus tuus sum. 142.

Divinâ ope à periculo liberati.

Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi. *Psal.* 4.

Dominus adjutor meus, et liberator meus : in ipso speravit cor meum, et adjutus sum. 27.

Audivit Dominus, et misertus est mei : factus est adjutor meus. 29.

Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi.

Et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis. 39.

Factus est susceptor meus et liberator meus in die tribulationis. 58.

Factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in adjutorium spei meæ. 93.

Confitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem. 117.

Fortitudo mea et laus mea Dominus, factus est mihi in salutem. 117

Ad Dominum cùm tribularer clamavi, et exaudivit me. 119.

Ex gravi aliquo dolore aut mœrore recreati.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi : et circumdedisti me lætitiâ. *Psal.* 29.

Exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis 39.

Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Transivimus per ignem et aquam,

et eduxisti nos in refrigerium. 65.

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas, et conversus vivificasti me. 70.

Secundùm multitudinem dolorum meorum, in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. 93.

Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala. 89.

Nisi quia Dominus adjuvit nos, paulo minus habitasset in inferno anima mea. 93.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. 125.

Confitebor tibi quoniam iratus es mihi; conversus est furor tuus, et consolatus es me. *Cant. Isaiæ.*

Dei auxilium contra hostes visibiles et invisibiles implorantis.

Domine Deus meus, in te speravi; salvum me fac ex omnibus

persequentibus me, et libera me. *Psal.* 7.

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me : respice, et exaudi me Domine Deus meus. 12.

Eripe me de manu inimicorum meorum, et à persequentibus me. 30.

Apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi. 34.

Domine, quando respicies ? restitue à malignitate eorum animam meam. 34.

Exaudi Deus orationem meam, cùm deprecor, à timore inimici eripe animam meam. 63.

Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos. 53.

Eripe me de inimicis meis, et à persequentibus me libera me. 58.

Protege me Domine à conventu malignantium : et à multitudine operantium iniquitatem. 63.

Intende animæ meæ, et libera eam: propter inimicos meos eripe me. 68.

Quare oblitus es mei, et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus. 41.

Eripe me de inimicis meis, ad te confugi. 142.

Ab inimicorum insidiis liberati.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me : nec delectasti inimicos meos super me. *Psal.* 29.

Ex omni tribulatione eripuisti animam meam : et super inimicos meos despexit oculus meus. 53.

Nisi quia Dominus erat in nobis : nisi quia Dominus erat in nobis :

Cùm exurgerent homines in nos, fortè vivos deglutissent nos.

Cùm irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra ; forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram. 123.

Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua. 137.

Injurias et contumelias æquo animo ferentis.

Factus sum tanquam vas perditum: quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuïtu.

Ego autem in te speravi Domine: dixi : Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ. *Psal.* 30.

Cùm mihi molesti essent, induebar cilicio.

Humiliabam in jejunio animam meam. 34.

Amici meï et proximi mei adversùm me appropinquaverunt et steterunt.

Inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et dolos totâ die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam; et sicut mutus non aperiens os suum.

Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi. 37.

Posui ori meo custodiam cùm consisteret peccator adversùm me: obmutui, et humiliatus sum, et silui à bonis. 38.

Opprobrium insipienti dedisti me : obmutui , et non aperui os meum , quoniam tu fecisti. 38.

Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. 68.

Adversùm me loquebantur , qui sedebant in porta , et in me psallebant qui bibebant vinum.

Ego verò orationem meam ad te Domine. 68.

Æquis oculis à Deo respici optantis.

Respice et exaudi me Domine Deus meus. *Psal.* 12.

Usquequò Domine, oblivisceris me in finem ? usquequo avertis faciem tuam àme ? 12.

Deus Deus meus respice in me ; quare me dereliquisti ? 21.

Respice in me , et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego. 24.

Ne avertas faciem tuam à me : ne declines inira à servo tuo. 26.

Quare faciem tuam avertis , oblivisceris inopiæ nostræ , et tribulationis nostræ ? 34.

Ne projicias me à facie tua : et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. 50.

Secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me. 68.

Ne avertas faciem tuam à puero tuo : quoniam tribulor, velociter exaudi me. 68.

Deus converte nos : ostende faciem tuam, et salvi erimus. 79.

Respice in me et miserere mei, et salvum fac filium ancillæ tuæ. 85.

Respice in servos tuos et in opera tua. 89.

Non avertas faciem tuam à me : in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. 101.



DAVIDIS

SUSPIRIA

VITÆ ILLUMINATIVÆ

RESPONDENTIA.

Optantis à Deo dirigi.

Dirige in conspectu tuo viam meam. *Psal.* 5.

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia tua. 16.

Deus meus, illumina tenebras meas. 17.

Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. 24.

Dirige me in veritate tua, et doce

me, quia tu es Deus salvator meus. 24.

Legem pone mihi in via tua, et dirige me in semitam rectam. 26.

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua. 85.

Beatus homo, quem tu erudieris Domine, et de lege tua docueris eum. 93.

Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas. 118.

Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum. 118.

Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum. 118.

Vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via æterna. 138.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. 142.

Doce me facere voluntatem tuam. 142.

Timentis inter loquendum peccare, et rectum linguæ suæ usum postulantis.

Prohibe linguam *meam* à malo : et labia *mea* ne loquantur dolum. *Ps.* 33.

Dixi : Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. 38.

Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. 50.

Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque. 118.

Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. 140.

Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. 140.

Confugientis ad orationem, tempore tribulationis.

In tribulatione invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi.

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam. *Psal.* 17.

A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum. 60.

In die tribulationis Deum exquisivi, et non sum deceptus. 76.

In die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudisti me. 85.

Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi. 114.

De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus. 117.

Ad Dominum cùm tribularer

clamavi, et exaudivit me. 119.

Voce meâ ad Dominum clamavi, voce meâ ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio. 141.

Nocturnam orationem verbo et exemplo suo commendantis.

Beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte. *Psal.* 1.

Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. 4.

Lavabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meum rigabo. 6.

Fuerunt mibi lacrymæ meæ panes die ac nocte. 41.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus. 76.

Meditatus sum nocte cum corde meo. 76.

Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi. 118.

Memor fui nocte nominis tui, et custodivi legem tuam. 118.

In noctibus extollite manus vestras

in sancta, et benedicite Dominum. 133.

Divinam legem meditantis.

Beatus vir, qui in lege Domini meditabitur die ac nocte. *Psal.* 1.

Quomodo dilexi legem tuam Domine, totâ die meditatio mea est. 118.

In justificationibus tuis meditabor; non obliviscar sermones tuos. 118.

In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. 118.

Nisi quòd lex tua meditatio mea est, tunc fòrtè periissem in humilitate mea. 118.

Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. 118.

Tribulatio et angustia invenerunt me; mandata tua meditatio mea est. 118.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. 118.

Beati qui scrutantur testimonia ejus. 118.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. 118.

Testimonia tua meditatio mea est: et consilium meum justificationes tuæ. 118.

Divinorum mandatorum observationem bonis omnibus creatis anteponentis.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum : dulciora super mel et favum. *Psal.* 18.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum. 118.

Lætabor super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa. 118.

Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti. 118.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. 118.

Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam. 118.

Dilexi mandata sua super aurum et topazion. 118.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. 118.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. 118.

Divinæ legi obsequentium temporariam et æternam felicitatem prædicantis.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum : et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet, et omnia quæcunque faciet prosperabuntur.

Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. *Psal.* 1.

Non est inopia timentibus eum. 33.

Inquirentes Dominum non deficient omni bono. 33.

Junior fui, etenim senui : et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. 36.

Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas. 36.

Custodi innocentiam, et vide æquitatem, quoniam reliquiæ sunt homini pacifico. 36.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia. 83.

Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in seculum seculi. 111.

In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit. 111.

Beati qui ambulant in lege Domini. 118.

Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. 118.

Pax multa diligentibus legem tuam. 118.

Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. 127.

Divino obsequio se mancipantis.

Anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi. *Psal.* 21.

Subjecta esto anima mea Deo, quoniam ab ipso patientia mea. 61.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. 83.

Ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. 115.

Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ. 118.

Custodiam legem tuam in seculum, et in seculum seculi. 118.

Portio mea dixi Domine, custodire legem tuam. 118.

Multi qui persequuntur me : à testimoniis tuis non declinavi. 118.

Omni tempore orantis.

Mane adstabo tibi et videbo : quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. *Psal.* 5.

Vespere et mane et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudies vocem meam. 54.

Deus Deus meus ad te de luce vigilo. 62.

Clamavi ad te totâ die, expandi ad te manus meas. 87.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. 120.

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.

Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum :

Et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. 122.

Voce meâ ad Dominum clamavi, voce meâ ad Dominum deprecatus sum. 141.

Expandi ad te manus meas : anima mea sicut terra sine aqua tibi. 142.

Preces suas à Deo exaudiri cupientis.

Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum; *Psal.* 5.

Intende voci orationis meæ, rex meus et Deus meus. 5.

Inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea. 16.

Exaudi vocem meam, qua clamavi ad te ; miserere mei et exaudi me. 26.

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. 27.

Exaudi Domine orationem meam et deprecationem meam ; auribus percipe lacrymas meas. 38.

Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam; intende mihi, et exaudi me. 54.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me. 68.

Inclina Domine aurem tuam, quia inops et pauper sum ego. 85.

Auribus percipe orationem meam, intende voci deprecationis meæ. 85.

Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam. 87.

Clamavi ad te in toto corde meo, exaudi me Domine. 118.

Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundùm eloquium tuum eripe me. 118.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. 129.

Domine clamavi ad te, exaudi me: intende voci meæ, cùm clamavero ad te. 140.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. 140.

Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis. 141.

Preces suas à Deo exauditas gestientis.

Cùm invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ : in tribulatione dilatasti mihi. *Psal.* 4.

Exaudivit Dominus vocem fletûs mei, Dominus exaudivit vocem deprecationis meæ : Dominus orationem meam suscepit. 6.

Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ. 27.

Audivit Dominus et misertus est mei ; factus est adjutor meus. 29.

Benedictus Dominus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam à me. 65.

Voce meâ ad Dominum clamavi : voce meâ ad Deum, et intendit mihi. 76.

Confitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem. 1 .;

Confitebor tibi Domine, in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei. 137.

Aliis bene precantis.

Desiderium pauperum exaudiat Dominus. *Psal.* 9.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob. 19.

Mittat tibi auxilium de sancto : et de Sion tueatur te. 19.

Tribuat tibi Dominus secundùm cor tuum, et omne consilium tuum confirmet. 19.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas. 19.

Benefac Domine bonis et rectis corde. 124.

Respice in orationem humilium, et non spernas preces eorum. 101.

Deum adjutorem et protectorem suum, suam fortitudinem, refugium suum nuncupantis.

Tu Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. *Psal.* 3.

Diligam te Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. 17.

Deus meus adjutor meus et protector meus : in ipso speravit cor meum, et adjutus sum. 27.

Fortitudo mea et refugium meum es tu. 30.

Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me. 31.

Tu es fortitudo mea, et patientia mea. 42.

Adjutor meus, tibi psallam, quia susceptor meus es, Deus meus, et misericordia mea. 58.

Spes mea, turris fortitudinis à facie inimici. 60.

Deus auxilii mei, spes mea in Deo est. 61.

De ventre matris meæ tu es protector meus. 70.

Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ. 88.

Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. 117.

Misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et liberator meus. 143.

Spem in Domino Deo collocantis.

Domine Deus meus in te speravi : salvum me fac ex omnibus perse-

quentibus me, et libera me. *Psal.* 7.

Deus meus es tu, adjutor meus: sperabo in eum. 17.

Spes mea ab uberibus matris meæ. 21.

In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu. 21.

Ad te Domine levavi animam meam: in te confido, non erubescam. 24.

Non erubescam, quoniam speravi in te. 24.

In Domino sperans non infirmabor. 25.

In te Domine speravi, non confundar in æternum. 30.

Quoniam in te speravi, tu exaudies me Deus meus. 37.

In Deo salutare meum, et gloria mea:

Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. 61.

Ego sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei mei. 51.

Tu es patientia mea, Domine: Domine, spes mea à juventute mea. 70.

Mihi adhærere Deo bonum est: ponere in Deo spem meam. 72.

Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. 85.

Tu Domine spes mea. 90.

Susceptor meus es tu, et refugium meum : Deus meus sperabo in eum. 90.

Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino. 129.

Homines excitantis ad spem in Deo collocandam.

Beati omnes qui confidunt in Domino. *Psal.* 2.

Lætentur omnes qui sperant in te : in æternum exultabunt, et habitabis in eis. 5.

Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Dominè. 9.

Protector omnium in se sperantium Deus. 17.

In te speraverunt patres nostri : speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, et non sunt confusi. 21.

Universi qui sustinent te non confundentur. 24.

Viriliter agite, et confortetur cor

vestrum, omnes qui speratis in Domino. 30.

Sperantem in Domino misericordia circumdabit. 31.

Oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus. 32.

Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te. 32.

Beatus cujus est nomen Domini spes ejus : et non respexit in vanitates et insanias falsas. 39.

Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra : Deus adjutor noster in æternum. 61.

Beatus homo, qui sperat in te, Domine Deus virtutum. 83.

Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. 85.

Beatus vir, cujus Deus Jacob adjutor ejus : spes ejus in Domino Deo ipsius. 145.

Generalem Dei providentiam annuntiantis.

Hic est Deus noster in æternum, ipse reget nos in secula. *Psal.* 47.

Omnia à te exspectant ut des illis escam in tempore opportuno. 103.

Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. 103.

Oculi omnium in te sperant Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. 144.

Dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. 146.

Divinâ providentiâ tuti.

Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. *Psal.* 26.

Dominus regit me et nihil mihi deerit. 22.

Deus meus es tu : in manibus tuis sortes meæ. 30.

Ego mendicus sum et pauper; Dominus autem sollicitus est mei. 39.

Hic est Deus, Deus noster ; ipse reget nos in secula. 47.

Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. 54.

Dei tutelæ se suaque omnia permittentis.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te. *Psal.* 15.

Custodi me Domine, ut pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege me. 16.

Custodi animam meam, et erue me: non erubescam quoniam speravi in te. 24.

In manus tuas Domine, commendo spiritum meum. 30.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias. 30.

In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. 56.

Protegar in umbra alarum tuarum. 60.

Custodi animam meam; salvum me fac Deus meus sperantem in te. 85.

Custodi me de manu peccatoris, et ab hominibus iniquis eripe me. 139.

Cum Deo nihil timentis.

Quia Dominus suscepit me,

Non timebo millia populi circumdantis me. *Psal.* 3.

In te eripiar à tentatione, et in Deo meo transgrediar murum. 17.

Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. 22.

Dominus illuminatio mea, et salus mea : quem timebo ? 26.

Dominus protector vitæ meæ : à quo trepidabo ? 26.

Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. 26.

Si exsurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo. 26.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu : et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. 43.

Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dùm turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris. 45.

In Deo speravi; non timebo quid faciat mihi homo. 55.

Iste Deus meus, et salvator meus : non movebor ampliùs. 61.

Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. 117.

Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos. 117.

Ecce Deus meus, salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo. *Cant. Isaiæ.*

Afflictos Deo curæ esse prædicantis.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Ps.*33.

Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. 33.

Juxta est Dominus iis qui tribulati sunt corde : et humiles spiritu salvabit. 33.

Salus justorum à Domino, et protector eorum est in tempore tribulationis. 36.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. 90.

Non relinquet virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. 124.

Justos et innocentes singulari curæ esse Deo prædicantis.

Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. *Ps.*30.

Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. 30.

Oculi Domini super metuentes eum ; et in eis qui sperant super misericordia ejus. 32.

Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. 33.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus liberavit eos. 33.

Cùm ceciderit justus non collidetur : Dominus enim supponit manum suam. 36.

Salus justorum à Domino, et protector eorum est in tempore tribulationis. 36.

Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum.

Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus. 36.

Custodit Dominus ossa eorum, unum ex eis non conteretur. 96.

Custodit Dominus animas sanctorum, et de manu peccatoris liberabit eos. 96.

Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet. 144.

Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet. 144.

Propè est Dominus omnibus invo-

cantibus eum, invocantibus eum in veritate. 144.

Deum pauperum et humilium asylum annuntiantis.

Factus est Dominus refugium pauperi : adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. *Psal.* 9.

Non in finem oblivio erit pauperis : patientia pauperum non peribit in finem.

Exurge Domine, exaltetur manus tua, ne obliviscaris pauperum. 9.

Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor. 9.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus ; præparationem cordis eorum audivit auris tua. 9.

Oculi Domini in pauperem respiciunt. 10.

Domine, quis similis tibi ?

Eripiens inopem de manu fortium ejus : egenum et pauperem à diripientibus eum. 34.

Tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis. 17.

Timeat Dominum omne semen Israël, quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis. 21.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde; et humiles spiritu salvabit. 33.

Excelsus Dominus humilia respicit, et alta à longè cognoscit. 137.

Animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. 73.

Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum. 101.

Hortantis ad exsolvenda vota Deo nuncupata.

Vota mea Domino reddam in conspectu timentium eum. *Psal.* 21.

Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. 49.

In me sunt vota tua quæ reddam, laudationem tibi. 55.

Reddam vota mea Domino, de die in diem. 60.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus. 115.

Reddam vota mea Domino, quæ distinxerunt labia mea. 65.



DAVIDIS

SUSPIRIA

VITÆ UNITIVÆ

RESPONDENTIA.

Divinæ Majestatis excellentiam, et ejus in res omnes creatas Dominum adnuntiantis.

DOMINE Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra. *Psal.* 8.

Elevata est magnificentia tua super cœlos. 8.

Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. 15.

Quis Deus præter Dominum ? aut quis Deus præter Deum nostrum ? 17.

Domini est terra et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo. 23.

Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram. 46.

Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia magna solus : et benedictum nomen majestatis ejus in omni terra. 71.

Quis Deus magnus, sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia. 76.

Nomen tibi Dominus : tu solus Altissimus super omnem terram. 82.

Magnus es tu et faciens mirabilia, tu es Deus solus. 85.

Non est similis tui in Diis Domine: et non est secundùm opera tua. 85.

Quis in nubibus æquabitur Domino ? aut similis erit Deo in filiis Dei ? 88.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi ? 88.

Tui sunt cœli, tua est terra. 88.

Ipse Dominus Deus noster, nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus. 94.

In manu tua, Domine, omnes fines terræ. 94.

Ipse fecit nos, et non ipsi nos. 99.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra? 112.

Non est fortis sicut Deus noster. *Anna in Cant.*

Divinam potentiam prædicantis.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra. *Psal.* 8.

Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. 23.

Magnus Dominus, et magna virtus ejus. 146.

Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. 79.

Magnus es tu, et faciens mirabilia; tu es Deus solus. 85.

Quis loquetur potentias Domini; auditas faciet laudes ejus? 105.

Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, in terra, et in omnibus abyssis. 134.

Magnus Dominus et laudabilis nimis: et magnitudinis ejus non est finis. 144.

Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit. *Cant. Annæ.*

Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. *Anna in Cant.*

Divinam sapientiam laudantis.

Cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. *Psal.* 39.

Occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. 50.

Quàm magnificata sunt opera tua, Domine : omnia in sapientia fecisti. 103.

Magnus Dominus et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus. 140.

Divinam bonitatem prædicantis.

Secundùm misericordiam tuam memento mei tu : propter bonitatem tuam Domine. *Psal.* 24.

Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. 33.

Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde! 72.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. 106.

Bonus es tu, et in bonitate tua doce me. 118.

Laudate Dominum, quia bonus Dominus; psallite nomini ejus, quoniam suave. 134.

Dei sanctitatem extollentis.

Psallite Domino sancti ejus, et confitemini sanctitati ejus. *Psal.* 29.

In eo lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus sperabimus. 32.

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est. 98.

Sauctum et terribile nomen ejus. 110.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. 144.

Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. 144.

Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate, quoniam sanctus Dominus Deus noster. 144.

Quis similis tibi, magnificus in sanctitate? *Cant. Moys.*

Non est sanctus ut est Dominus, et non est alius extra te. *Cant. Annæ.*

Dei scientiam laudantis.

Scrutans corda et renes Deus. *Ps.* 7.

Ipse novit abscondita cordis. 43.

Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. 93.

Domine probasti me et cognovisti me. 138.

Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua. 138.

Imperfectum meum viderunt oculi tui. 138.

Deus scientiarum Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes. *Anna in Cant.*

Divinam immensitatem prædicantis.

Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear. *Psal.* 15.

Propè es tu Domine; et omnes viæ tuæ veritas. 118.

Quò ibo à spiritu tuo; aut quò à facie tua fugiam? 138.

Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. 138.

Si habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me. 138.

Divinam misericordiam annuntiantis.

In Domino speravi, exultabo et lætabor in misericordia tua. *Psal.* 30.

Sperantem in Domino misericordia circumdabit. 31.

Tu Domine suavis et mitis; et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. 85.

Misericordias Domini in æternum cantabo. 88.

Misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes se. 102.

Misericors et miserator Dominus, longanimis et multùm misericors. 102.

Magna est super eos misericordia tua. 107.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus. 117.

Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. 129.

Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus. 144.

Beneplacitum est Domino super timentes se, et in eis qui sperant super misericordia ejus. 146.

Dei justitiam prædicantis.

Deus justus judex, fortis et patiens. *Psal.* 7.

Paravit in judicio thronum suum; et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia. 9.

Justus Dominus, et justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. 10.

Justitia tua sicut montes Dei; judicia tua abyssus multa. 36.

Justitiâ plena est dextera tua. 47.

Tu reddes unicuique secundùm opera sua. 61.

Rectus Dominus noster, et non est iniquitas in eo. 91.

Judicabit Dominus orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate. 95.

Memento mirabilium, quæ fecit Dominus, prodigia ejus, et judicia oris ejus. 104.

Justus es Domine, et rectum judicium tuum. 118.

Justitia tua justitia in æternum, et lex tua veritas. 118.

Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. 144.

Hortantis ad exercendam justitiam.

Judicate egeno et pupillo : humilem et pauperem justificate. *Ps.* 81.

Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis ? 81.

Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam omni tempore. 105.

Acquiescentis Dei judicio.

Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. *Psal.* 22.

Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. 117.

Justus es Domine, et rectum judicium tuum. 118.

Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me. 118.

Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. 118.

Memor fui judiciorum tuorum à seculo Domine, et consolatus sum. 118.

Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. 144.

Acquiescentis divinæ voluntati.

Subditus esto Domino, et ora eum. *Psal.* 36.

Ego in flagella paratus sum. 37.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam : Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei. 39.

Nonne Deo sujecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. 61.

Subjecta esto anima mea Deo, quoniam ab ipso patientia mea. 61.

Paratum cor meum Deus ; paratum cor meum. 56.

Audiam quid loquatur in me Dominus. 84.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. 142.

Felicem consiliorum suorum eventum uni Deo tribuentis.

Domini est salus. *Psal.* 3.

Fallax equus ad salutem, in abundantia virtutis suæ non salvabitur. 32.

Non salvatur rex per multam virtutem : et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. 32.

Non in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me.

Sed dextera tua et brachium tuum, et illuminatio vultûs tui.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. 43.

Nisi quia Dominus adjuvit nos, paulominus habitasset in inferno anima mea. 93.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me : dextera Domini fecit virtutem. 117.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram. 123.

Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. 126.

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam. 126.

Deo, non hominibus confidendum.

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. *Psal.* 59.

Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. 61.

Beatus vir cujus est auxilium abs te. 83.

In Domino faciemus virtutem. 107.

Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. 117.

Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus. 117.

Nolite confidere in Principibus, nec in filiis hominum, in quibus non est salus. 145.

Beatus vir, cujus Deus Jacob adjutor ejus : spes ejus in Domino Deo ipsius. 145.

Non in fortitudine sua roborabitur vir. *Anna in Cant.*

Æstuantis zelo divinæ gloriæ.

Exaltare Domine in virtute tua : et exaltare in finibus inimicorum tuorum. *Psal.* 7.

Benedictus Deus meus, et exaltetur Deus salutis meæ. 17.

Universum semen Jacob glorificate eum. 21.

Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. 33.

Sicut nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ. 47.

Exaltare super cœlos Deus, et in omni terra gloria tua. 56.

Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua. 56.

Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. 65.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi; psalmum dicat nomini tuo. 65.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. 66.

Date gloriam Deo. 67.

Confitebor tibi Domine Deus in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum. 85.

Afferte Domino gloriam et honorem: afferte gloriam et honorem nomini sancto ejus. 95.

Sit gloria Domini in seculum. 103.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in seculum. 112.

Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam. 113.

Exaltabo te Deus meus rex, et benedicam nomini tuo. 144.

Uno Deo contenti.

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei. *Psal.* 15.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. 26.

Domine, ante te omne desiderium meum. 37.

Quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? 38.

Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram? 72.

Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum. 72.

Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. 72.

Tu spes mea: portio mea in terra viventium. 141.

Hortantis ad Deum quærendum.

Non dereliquisti quærentes te Domine. *Psal.* 9.

Quærite Deum, et vivet anima vestra. 68.

Exultent et lætentur omnes, qui quærunt te, Deus Israël. 69.

Lætetur cor quærentium Dominum. 104.

Quærite Dominum et confirmamini: quærite faciem ejus semper. 104.

Aspirantis ad æternam felicitatem.

Satiabor, cùm apparuerit mihi gloria tua. *Psal.* 16.

Unam petii à Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. 26.

Credo videre bona Domini, în terra viventium. 26.

Apud te Domine, est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. 35.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. 41.

Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? 41.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam. 54.

Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis. 64.

Replebimur in bonis domûs tuæ. 64.

Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. 83.

Melior est dies una in atriis tuis super millia. 83.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. 119.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus. 121.

Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. 83.

Hæc requies mea in seculum seculi. 131.

Educ de custodia animam meam. 141.

Viam pandentis ad æternam felicitatem.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam. *Psal.* 14.

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam: nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino, et misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob. 23.

Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam à malo, et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, et fac bonum: inquire pacem, et persequere eam. 33.

Deum laudantis.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua. *Psal.* 9.

Domine Deus meus in æternum confitebor tibi. 29.

Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. 33.

Benedictus Deus Israël à seculo, et usque in seculum. 40.

Sicut nomen tuum Deus, ita et laus in fines terræ. 47.

Repleatur os meum laude tuâ; ut cantem gloriam tuam : totâ die magnitudinem tuam. 70.

Benedic anima mea Domino, et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. 102.

In omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino. 102.

Cantabo Domino in vita mea : psallam Deo meo quamdiu fuero. 103.

Per singulos dies benedicam tibi : et laudabo nomen tuum in seculum, et in seculum seculi. 144.

Lauda anima mea Dominum : laudabo Deum in vita mea : psallam Deo meo, quamdiu fuero. 145.

Gratias Deo agentis.

Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi. *Psal.* 12.

Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. 65.

Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. 102.

Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? 115.

Confitebor tibi Domine, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem. 117.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam exaudisti verba oris mei. 137.

Homines provocantis ad celebrandas Dei laudes.

Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. 33.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. 66.

Jubilate Deo omnis terra; psalmum dicite nomini ejus : date gloriam laudi ejus. 65.

Omnis terra adoret te et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo. 65.

Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia sanctorum. 149.

Benedicite gentes Deus nostrum, et auditam facite vocem laudis ejus. 65.

Regna terræ cantate Deo, et psallite Domino. 67.

Laudent illum cœli et terra, mare et omnia reptilia in eis. 68.

Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra. 95.

Jubilate Deo omnis terra, cantate, exultate, et psallite. 97.

Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia. 99.

Benedicite omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino. 102.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. 116.

Laudate Dominum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus. 148.

Laudate eum sol et luna, laudate eum stellæ et lumen. 148.

Laudate eum cœli cœlorum, et aquæ quæ super omnes cœlos sunt, laudent nomen Domini. 148.

Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini. 148.

Omnis spiritus laudet Dominum. 150.

In Deo exultantis.

Lætabor et exultabo in te; psallam nomini tuo Altissimo. *Psal.* 9.

Exultabit cor meum in salutari tuo. 12.

Exultabo et lætabor in misericordia tua. 30.

In Deo lætabitur cor meum. 32.

Anima mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo. 34.

Cor meum et caro mea exultent in Deum vivum. 83.

Lætifica animam servi tui, quoniam ad te animam meam levavi. 85.

Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. 85.

Gaude anima mea in Domino, et exulta cor meum in Deo Jesu tuo. *Hab. in Cant.*

Excitantis ad lætitiam spiritualem.

Lætentur omnes qui sperant in te

Domine : in æternum exultabunt, et habitabis in eis. *Psal.* 5.

Exultent et lætentur omnes, qui sperant in te Domine. 9.

Lætamini in Domino, et exultate justi. 31.

Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio. 32.

Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. 46.

Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo. 63.

Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia. 67.

Exultent et lætentur in te omnes, qui quærunt te, Deus Israël. 69.

Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob. 80.

Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. 94.

Lætentur cœli et exultet terra, gaudeant campi, et omnia quæ in eis sunt. 95.

Jubilate Deo omnis terra, cantate, exultate et psallite. 97.

Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus in exultatione. 99.

Pios gestientis cordis motus exprimentis.

Proba me Deus et tenta me ; ure renes meos et cor meum. *Psal.* 25.

In Deo speravit cor meum , et adjutus sum. 27.

In Deo lætabitur cor meum. 32.

Cor mundum crea in me Deus. 50.

Cor contritum et humiliatum Deus non despicies. 50.

Paratum cor meum Deus , paratum cor meum. 56.

Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. 83.

Lætetur cor meum , ut timeat nomen tuum. 85.

Inclina cor meum in testimonia tua. 118.

Fiat cor meum immaculatum. 118.

Proba me Deus et scito cor meum. 138.

Non declines cor meum in verba malitiæ. 140.

Exulta cor meum in Deo Jesu tuo. *Hab. in Cant.*

Varios animi sui affectus expromentis circa sanctissimum Dei nomen.

Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum. *Psal.* 5.

Confitebor Domino secundùm justitiam ejus, et psallam nomini Domini Altissimi. 7.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra. 8.

Lætabor et exultabo in te, psallam nomini tuo Altissime. 9.

Sperent in te, qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. 9.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim. 24.

In eo lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus sperabimus. 32.

Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. 33.

Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus. 39.

Sit nomen Domini benedictum in secula. 41.

In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. 43.

Deus in nomine tuo salvum me fac. 53.

Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini sancto ejus, date gloriam laudi ejus. 65.

Omnis terra adoret te, et psalmum dicat nomini tuo. 65.

Benedictum nomen majestatis ejus in æternum. 71.

Repleatur majestate nominis tui omnis terra : fiat, fiat. 71.

Adjuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui libera nos. 78.

Propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum. 78.

Confitebor tibi Domine Deus in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum. 85.

Afferte Domino gloriam et honorem; afferte gloriam et honorem nomini sancto ejus. 95.

Cantate Domino, et benedicite nomini sancto ejus. 95.

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est. 98.

Benedic anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini ancto ejus. 102.

Sanctum et terribile nomen ejus. 110.

A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen ejus. 112.

Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo Altissime.

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. 113.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram. 123.

Laudate Dominum quia bonus Dominus; psallite nomini ejus, quoniam suave. 134.

Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in seculum seculi. 144.

Exaltabo te Deus meus rex, et benedicam nomini tuo. 144.

Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius. 148.

INDEX.

Davidis Suspiria, vitæ purgativæ respondentia.

Davidis Suspiria, vitæ illuminativæ respondentia.

Davidis Suspiria, unitivæ vitæ respondentia.

AXIOMATA

EVANGELICA

CHRISTI DOMINI

ET APOSTOLORUM

VERBIS CONCEPTA.



AVENIONE.

1837.

AXIOMATA
EVANGELICA
CHRISTI DOMINI
ET APOSTOLORUM
VERBIS CONCEPTA.

CAPUT I.

De æterna hominis Christiani salute.

SECTIO I.

Unum hominis negotium, salutis suæ cura.

OPERAMINI vestram salutem, cum metu, et tremore. *Philip.* 2.

Quærite primùm regnum Dei,

et cætera adjicientur vobis. *Luc.* 12.

Unum est necessarium. *Luc.* 10.

Quam dabit homo commutationem pro anima sua? *Matth.* 16.

Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. *Matth.* 16.

Filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. *Luc.* 16.

SECTIO II.

Homini Christiano cæterorum jactura potiùs facienda, quàm animæ.

Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. *Luc.* 9.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Joan.* 12.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14.

Qui amat patrem suum aut matrem,

plus quàm me, non potest meus esse discipulus. *Matth.* 10.

Si manus tua, vel pes tuus, vel oculus tuus scandalizat te, abscinde eos et projice abs te : Melius est enim tibi unum oculum habentem, aut debilem, intrare in vitam : quàm duos oculos, duas manus, aut duos pedes habentem mitti in ignem inextinguibilem. *Matth.* 18.

SECTIO III.

Salvandorum exiguus numerus.

Quàm angusta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam. *Matth.* 7.

Quàm lata et spatiosa via est, quæ ducit ad mortem, et multi inveniunt eam. *Matth.* 7.

Multi vocati, pauci verò electi. *Matth.* 20.

Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt ? 1. *Petr.* 4.

Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob : filii autem regni

ejicientur in tenebras exteriores. *Matth.* 8.

SECTIO IV.

Vult Deus omnium hominum salutem.

Christus pro omnibus mortuus est. 2. *Cor.* 5.

Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. *Matth.* 18.

Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. 1. *Tim.* 2.

Sicut per unius delictum, in omnes homines in condemnationem : sic et per unius justitiam, in omnes homines in justificationem vitæ. *Rom.* 5.

Sicut per unius inobedientiam, peccatores constituti sunt multi ; ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi. *Rom.* 5.

Si unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. *Rom.* 5.

Sicut in Adam omnes moriuntur,

ita et in Christo omnes vivificabuntur. 2. *Cor.* 7.

Jesus Christus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. 1. *Tim.* 2.

Jesus Christus Salvator est omnium hominum, et maximè fidelium. 1. *Tim.* 4.

Christus est propitiatio pro peccatis nostris ; non pro nobis tantùm, sed etiam pro totius mundi. 1. *Joan.* 2.

CAPUT II.

De Peccato.

SECTIO I.

Omnes homines sunt obnoxii peccato.

Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors : ita et in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom.* 5.

Unius delicto multi mortui sunt. *Rom.* 5.

Per unius delictum in omnes homines in condemnationem. *Rom.* 5.

Per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi. *Rom.* 5.

In Adam omnes moriuntur. 1. *Cor.* 15.

Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. 2. *Cor.* 5.

In multis offendimus omnes. *Jac.* 3.

Omnes peccaverunt, et egent gloriâ Dei. *Rom.* 3.

Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. 1. *Joan.* 1.

Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus Deum, et verbum ejus in nobis non est. 1. *Joan.* 1.

SECTIO II.

Peccati effectus.

Qui facit peccatum, ex diabolo est. 1. *Joan.* 3.

Qui facit peccatum, servus est peccati. 1. *Joan.* 3.

Servi estis ejus cui obeditis; sive peccati, ad mortem; sive obeditionis, ad justitiam. *Rom.* 6.

Stipendia peccati mors. *Rom.* 6.

Quem fructum habetis in iis, quibus nunc erubescitis? Nam et finis illorum mors est. *Rom.* 6.

SECTIO III.

Christianus odisse et fugere debet peccatum.

Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit. 1. *Joan.* 3.

Vetus homo noster simul cum Christo crucifixus est, ut destruatur opus peccati, ut ultrà non serviamus peccato. *Rom.* 6.

Peccatum vobis non dominetur; non enim sub lege estis, sed sub gratia. *Rom.* 6.

Non regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. *Rom.* 6.

Sicut exhibuistis membra vestra servire injustitiæ et iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. *Rom.* 6.

Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? *Rom.* 6.

SECTIO IV.

Fugiendæ et amputandæ peccati occasiones.

Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te: bonum est tibi luscum intrare in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. *Matth.* 18.

Si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam et projice abs te: bonum est enim tibi ad vitam ingredi debilem, quàm duas manus habentem mitti in ignem inextinguibilem. *Marc.* 9.

Si pes tuus scandalizat te, amputa illum: bonum est tibi claudum intrare in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis. *Marc.* 9.

CAPUT III.

De Pœnitentia.

SECTIO I.

Agenda de peccatis pœnitentia.

Pœnitentiam agite. *Matth.* 4.

Facite fructus dignos pœnitentiæ. *Luc.* 3.

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. *Luc.* 13.

In mente habe qualiter acceperis, et audiveris, et serva et age pœnitentiam. *Apoc.* 3.

Secundùm duritiem tuam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus. *Rom.* 2.

Jam securis ad arborem posita est; omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. *Matth.* 3.

Memor esto unde excideris, age

pœnitentiam, et prima opera fac. *Apoc.* 2.

Hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Deum patrem Jesum Christum. 1. *Joan.* 2.

Ignoras quoniam benignitas Dei adducit te ad pœnitentiam. *Rom.* 2.

Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. *Petr.* 3.

Non veni vocare justos, sed peccatores. *Marc.* 2.

SECTIO II.

Pœnitentiæ fructus.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus et justus, ut remittat peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. 1. *Joan.* 1.

Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ Dei, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Hebr.* 4.

Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentiâ. *Luc.* 15.

SECTIO III.

Procrastinari non debet pœnitentia.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. 2. *Cor.* 6.

Tempus breve est. 1. *Cor.* 7.

Venit nox, quando nemo potest operari. *Joan.* 9.

Cùm dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. 1. *Thess.* 5.

Attendite vobis; ne fortè graventur corda vestra curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentinus ille dies. *Luc.* 21.

Cùm intraverit pater familias, et clauserit ostium, incipietis pulsare, dicentes, Domine, Domine aperi nobis : respondens autem dicet, Nescio vos. *Luc.* 13.

Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. 1. *Thess.* 5.

Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies quâ horâ veniam ad te. *Apoc.* 3.

Quæretis me, et non invenietis; et in peccato vestro moriemini. *Joau.* 8.

CAPUT IV.

Christi exempla et præcepta sunt Christiani hominis certa regula.

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. *Matth.* 3.

Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi. *Ephes.* 5.

Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos. *Matth.* 5.

Ego sum via, veritas et vita. *Joan.* 14.

Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. *Joan.* 13.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. *Petr.* 2.

Recogitate Jesum, qui talem sustinuit à peccatoribus persecutionem. *Hebr.* 12.

Qui dicit se in Christo manere,

debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. 1. *Joan.* 2.

Sicut accepistis Dominum Jesum, in ipso ambulate. *Col.* 2.

Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui. *Rom.* 8.

Portavimus imaginem terrestris, portemus imaginem cœlestis. 1. *Cor.* 15.

Exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.

Ambulemus dignè Deo, per omnia placentes. *Col.* 1.

Non est servus super dominum. *Matth.* 10.

Sufficit servo si sit sicut dominus ejus. *Matth.* 10.

CAPUT V.

Idem sentire, idem velle et nolle quod Christus, Christiani officium est.

Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. *Phil.* 2.

Induimini Dominum Jesum. *Rom.* 13.

Exspoliate veterem hominem, cum actibus suis, et induite novum. *Col.* 3.

Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. *Gal.* 3.

Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. *Rom.* 8.

Quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. *Rom.* 8.

Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. *Gal.* 2.

Nos spiritum hujus mundi non accepimus : sed spiritum qui ex Deo est. 1. *Cor.* 2.

Ubi spiritus Domini, ibi libertas. 2. *Cor.* 3.

CAPUT VI.

Perversa hominum judicia flocci facienda.

Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. *Luc.* 7.

Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. *Matth.* 10.

Qui negaverit me coram homini-

bus, et ego negabo eum coram patre meo. *Matth.* 10.

Qui erubuerit me coram hominibus, erusbescam et ego eum coram patre meo. *Luc.* 9.

Noli erubescere testimonium Domini nostri Jesu Christi. 2. *Tim.* 1.

Non erubesco evangelium. *Rom.* 1.

Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum. *Matth.* 15.

CAPUT VII.

Christi et politicorum hujus seculi longè diversa sentiendi et agendi ratio.

Quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum. *Luc.* 16.

Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. 1. *Cor.* 3.

Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. 1. *Cor.* 1.

Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. 1. *Cor.* 1.

Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut cunfundat sapientes. 1. *Cor.* 1.

Ignobilia et contemptibilia mundi elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. 1. *Cor.* 1.

Placuit Deo per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes. 1. *Cor.* 1.

Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi. 1. *Cor.* 1.

CAPUT VIII.

Contemptui et odio debent esse Christi asseclis, quæ hujus seculi filiis in amore et pretio sunt.

Totus mundus in maligno positus est. 1. *Joan.* 5.

Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. 1. *Cor.* 7.

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. 1. *Joan.* 2.

Nolite conformari huic seculo. *Rom.* 12.

Mundus transit, et concupiscentia ejus: qui autem facit Dei volunta-

tem, manet in internum. 1. *Joan.* 2.

Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. *Phil.* 3.

CAPUT IX.

Non indulgendum pravis cupiditatibus.

Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. *Rom.* 8.

Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt. *Rom.* 8.

Radix malorum omnium est cupiditas. 1. *Tim.* 6.

Abstinete à carnalibus desideriis quæ militant adversùs animam. 1. *Petr.* 2.

Nolite arbitrari quia pacem veni mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium. *Matth.* 10.

Carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom.* 13.

Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. *Col.* 3.

Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo. *Matth.* 5.

Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. *Rom.* 8.

Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. 1. *Cor.* 15.

Castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne fortè cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. 1. *Cor.* 9.

Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet : et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem ut incorruptam. 1. *Cor.* 9.

CAPUT X.

Rationi et gratiæ obsequendum.

Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. *Gal.* 5.

Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. *Gal.* 5.

Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. *Rom.* 8.

Qui secundùm spiritum sunt, quæ spiritûs sunt, sentiunt. *Rom.* 8.

Circumcisio cordis in spiritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex solo Deo. *Rom.* 2.

In carne ambulantes, non secundùm carnem militamus. 2. *Cor.* 10.

Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. *Col.* 3.

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. *Gal.* 5.

Semper mortificationem JESU CHRISTI circumferentes in corpore vestro, ut vita JESU manifestetur in corporibus vestris. 2. *Cor.* 4.

Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. *Matth.* 11.

CAPUT XI.

Paucis sapit Christus, ejusque doctrina.

NON omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est à Patre meo. *Matth.* 19.

Qui potest capere capiat. *Matth.* 19.

Confiteor tibi, Pater, quia abscondidisti hæc à sapientibus et prudenti-

bus, et revelasti ea parvulis. *Matth.* 11.

Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs Dei, stultitia enim est illi. 1. *Cor.* 2.

Videte vocationem, vestram, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles. 1. *Cor.* 1.

Verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est : iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus. 1. *Cor.* 1.

Prædicamus JESUM crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. 1. *Cor.* 1.

CAPUT XII.

De quatuor novissimis.

SECTIO I.

De Morte.

STATUTUM est omnibus hominibus, semel mori. *Hebr.* 9.

Beati qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur eos. *Apoc.* 14.

Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. 1. *Thess.* 5.

Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, nescies quâ horâ veniam ad te. *Apoc.* 3.

Estote similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis; ut, cùm venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. *Luc.* 12.

Beatus ille servus, quem cùm venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. *Matth.* 24.

Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. *Luc.* 12.

Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. *Luc.* 12.

Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. *Matth.* 25.

Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus veniet, serò, an mediâ nocte, galli cantu, an mane: ne cùm repentè venerit Dominus, inveniat vos dormientes. *Marc.* 3.

Vigilate omni tempore. *Luc.* 21.

Estote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet. *Luc.* 12.

Videte, vigilate, et orate, nescitis enim quando tempus est. *Matth.* 13.

Si sciret paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam : et vos estote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet. *Matth.* 24.

Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. *Marc.* 13.

SECTIO II.

De Judicio particulari.

Omnes stabimus ante tribunal Christi. *Rom.* 14.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 2. *Cor.* 5.

Judicati sunt mortui ex iis, quæ scripta sunt in libris secundùm opera eorum. *Apoc.* 20.

Unusquisque onus suum portabit. *Gal.* 6.

Unusquisque pro se rationem reddet Deo. *Rom.* 14.

Uniuscujusque opus manifestum erit. 1. *Cor.* 3.

Nihil est opertum, quod non revelabitur : et nihil occultum, quod non scietur. *Matth.* 10.

Judicabit Deus occulta hominum. *Rom.* 2.

Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines reddent de eo rationem in die judicii. *Matth.* 12.

Unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc accipiet à Domino, sive servus . sive liber. *Ephes.* 6.

Unusquisque propriam mercedem accipiet à Domino, secundùm suum laborem. 1. *Cor.* 3.

Sine acceptione personarum judicat Dominus, secundùm uniuscujusque opus. 1. *Petr.* 1.

Reddet Deus unicuique secundùm opera eorum : iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam et honorem quærunt, vitam æternam : iis autem qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. *Rom.* 2.

SECTIO III.

De Mortuorum resurrectione.

Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei. *Joan.* 5.

In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent. 1. *Cor.* 15.

Qui Jesum suscitavit, et nos cum Jesu suscitabit. 2. *Cor.* 4.

Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. 1. *Cor.* 15.

Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 1. *Cor.* 15.

De die illa et hora nemo scit, nisi solus Pater, et cui voluerit Filius revelare. *Matth.* 24.

Ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. 1. *Thess.* 4.

Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis, in nubibus, obviàm Christo in aëra : et sic semper cum Domino erimus. Consolamini invicem in verbis istis. 1. *Thess.* 4.

SECTIO IV.

De universali Judicio.

Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundùm opera ejus. *Matth.* 16.

Parebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa et majestate. *Matth.* 24.

Cùm venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. *Matth.* 25.

Vigilate omni tempore, orantes ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ ventura sunt, et stare ante Filium hominis. *Luc.* 21.

Segregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis. *Matth.* 25.

Statuet oves à dextris, hœdos autem à sinistris. *Matth.* 25.

SECTIO V.

De ultima et irrevocabili Christi judicis sententia.

Reddet unicuique secundùm opera eorum. *Rom.* 2.

Dicet his qui à dextris ejus erunt : Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim et dedistis mihi manducare, *etc. Matth.* 25.

Dicet his qui à sinistris ejus erunt : Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, *etc. Matth.* 25.

In consummatione seculi exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis ardentis, ibi erit fletus et stridor dentium. *Matth.* 13.

Sicut colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi : mittet Filius hominis Angelos suos qui colligent de regno suo omnia scandala, et eos qui fa-

ciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. *Matth.* 13.

Purgavit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. *Luc.* 3.

Procedent qui bona egerunt, in vitam æternam: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii. *Joan.* 5.

Ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. *Matth.* 25.

SECTIO VI.

De pœnis inferni.

Qui non est inventus in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. *Apoc.* 20.

Ibi erit fletus et stridor dentium. *Matth.* 8.

Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. *Marc.* 9.

Non habent requiem nec die nec nocte. *Apoc.* 14.

Qui non obediunt Evangelio pœnas dabunt in interitu sempiternas, 2. *Thess.* 1.

Quantùm fuit in deliciis, tantùm date illi tormentum et luctum. *Apoc.* 18.

SECTIO VII.

De gaudiis æternis.

Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. 2. *Cor.* 5.

Non habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus. *Hebr.* 13.

Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cœlis. 2. *Cor.* 5.

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. *Luc.* 12.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Joan.* 14.

Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se. 1. *Cor.* 2.

Quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. 2. *Cor.* 4.

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Rom.* 8.

Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. 1. *Cor.* 13.

Cùm apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est. 1. *Joan.* 3.

Non esurient neque sitient ampliùs: neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. *Apoc.* 7.

Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: mors ultrà non erit, neque clamor, neque luctus, neque ullus dolor: quoniam priora abierunt. *Apoc.* 21.

Beatus qui manducabit panem in regno Dei. *Luc.* 14.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in trono meo; sicut et ego vici, et consedi cum Patre meo, in regno ejus. *Apoc.* 3.

Hæc civitas non eget sole, neque lunâ, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus. *Apoc.* 21.

Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. *Matth.* 13.

CAPUT XIII.

Adversùs divites et eorum divitias.

Væ vobis divitibus, qui habetis vestram consolationem. *Luc.* 6.

Quàm difficilè divites intrabunt in regnum cœlorum! *Marc.* 10.

Facilius est camelum intrare per foramen acûs, quàm divitem intrare in regnum cœlorum. *Matth.* 19.

Qui volunt divites fieri in hoc seculo, incidunt in tentationes, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt animam in interitum. 1. *Tim.* 6.

Agite divites, plorate ululantes in miseriis, quæ advenient vobis. *Jac.* 5.

Divitibus hujus seculi præcipe non sublimè sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo: bene agere, divites fieri in bonis operibus, tribuere, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. 1. *Tim.* 6.

Mortuus est dives, et sepultus est in inferno. *Luc.* 16.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, ubi fures effodiunt et furantur. *Matth.* 6.

Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, ubi fures non effodiunt, nec furantur. *Matth.* 6.

CAPUT XIV.

In gratiam Evangelicæ paupertatis.

MARIA peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio. *Luc.* 2.

Filius hominis non habuit ubi caput reclinaret. *Luc.* 9.

Christus cùm esset dives, propter nos egenus factus est, ut illius inopiâ nos divites essemus. 2. *Cor.* 8.

Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus. 1. *Cor.* 4.

Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. 1. *Tim.* 6.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5.

Elegit Deus pauperes in hoc seculo, hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. *Jac.* 2.

Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis. *Matth.* 19.

Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter me, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *Matth.* 19.

Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, et sequere me. *Matth.* 19.

Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14.

Nolite possidere aurum ne queargentum, neque pecuniam in zonis vestris. *Matth.* 10.

CAPUT XV.

Contra voluptates et voluptarios.

Væ vobis, qui ridetis nunc; quia lugebitis et plorabitis. *Luc.* 6.

Væ vobis, qui saturati estis; quia esurietis. *Luc.* 6.

Regnum Dei non est esca et potus: sed gaudium et pax in Spiritu sancto. *Rom.* 14.

Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. 1. *Cor.* 10.

Quantum fuit in deliciis, tantum date illi tormentum et luctum. *Apoc.* 18.

CAPUT XVI.

Piorum hominum crux comes est individua.

Flebitis et plorabitis vos, mundus autem gaudebit : vos verò contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Joan.* 16.

Nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos; et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Joan.* 16.

Omnes qui piè volunt in Christo Jesu vivere, persecutionem patientur. 2. *Tim.* 3.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, Pater tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. *Joan.* 15.

In disciplina perseverate : tanquam filiis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? *Hebr.* 12.

Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; sed quia

de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *Joan.* 15.

Venit hora, in qua omnis qui interficit vos, obsequium arbitratur se præstare Deo. *Joan.* 16.

Dum judicamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. 1. *Cor.* 11.

Quem diligit Dominus castigat, et flagellat omnem filium venientem ad se. *Hebr.* 12.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. *Joan.* 15.

CAPUT XVII.

De cruce et doloribus.

SECTIO I.

Quanti Crux fieri debeat ab homine Christiano.

Qui vult venire post me, abneget semetipsum: tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. *Luc.* 9.

Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non est me dignus, nec potest meus esse discipulus. *Luc.* 14.

Aspicite in Auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ. *Hebr.* 12.

Non judicavi me scire quicquam, nisi Jesum et hunc crucifixum. 1. *Cor.* 2.

Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Gal.* 6.

Christo confixus sum cruci. *Gal.* 2.

SECTIO II.

Crux regia in cœlum via.

Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum. *Act.* 14.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Matth.* 5.

Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Jac.* 1.

Momentaneum et leve tribulationis nostræ immensum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. *Cor*. 4.

Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris : posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiæ. *Hebr*. 12.

Communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. 1. *Petr*. 4.

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Rom*. 8.

Vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu, in cœlo cum Angelis ejus. 2. *Thess*. 1.

Omne gaudium existimate, cùm in varias tentationes incideritis. *Jac*. 1.

SECTIO III.

Jesus *crucifixus una afflictorum consolatio.*

Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam. *Luc*. 22.

Christus passus est pro nobis, vobis

relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. *Petr.* 2.

Si commortui sumus, et convivemus: si sustinebimus, et conregnabimus. 2. *Tim.* 2.

Si compatimur, et conglorificabimur. *Rom.* 8.

Sicut socii passionum sumus, sic erimus et consolationum. 2. *Cor.* 1.

Non est servus major domino suo: si me persecuti sunt, et vos persequentur. *Joan.* 15.

Sufficit servo, ut sit sicut dominus ejus. *Matth.* 10.

Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater. *Luc.* 22.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. *Joan.* 15.

Christo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini. 1. *Petr.* 4.

Aspicite in Auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contemptâ. *Hebr.* 12.

Recogitate Dominum Jesum, qui talem ac tantam sustinuit à peccatoribus persecutionem. *Hebr.* 12.

SECTIO IV.

Qua ratione excipiendæ et ferendæ cruces, Christi, et ejus discipulorum exemplo.

Christus cùm malediceretur, non maledicebat : cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem se judicanti injustè. 1. *Petr.* 2.

Maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus : blasphemamur, et obsecramus : tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. 1. *Cor.* 4.

Placeo mihi in infirmitatibus meis, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. 2. *Cor.* 12.

Exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in angustiis, in necessitatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in vigiliis, in jejuniis, *etc.* 2. *Cor.* 6.

Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *Act* 5.

SECTIO V.

Singulari in Deum fiduciâ condiendi dolores.

In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum. *Joan*. 16.

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. *Luc.* 12.

Novit Deus pios eripere de tentatione, impios autem reservare in diem judicii. 2. *Petr.* 2.

Si cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem filii ejus : multò magis reconciliati salvi erimus, in vita ipsius. *Rom.* 5.

Per passionem, et consolationem Scripturarum spem habeamus. *Rom.* 15.

Si in hac vita sperantes tantùm sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus. 1. *Cor.* 15.

Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. *Hebr.* 10.

Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis :

sed faciet etiam cum tentatione proventum. 1. *Cor.* 10.

SECTIO VI.

De speciali eorum prærogativa, qui sine causa legitima patiuntur.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5.

Si quid patimini propter justitiam, beati eritis. 1. *Petr.* 3.

Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos, mentientes, propter me : gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. *Matth.* 5.

Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. 1. *Petr.* 4.

Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus. 1. *Petr.* 4.

Si quis patitur ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine. 1. *Petr.* 4.

Melius est benefacientes, si volun-

tas Dei velit, pati, quàm benefacientes. 1. *Petr.* 3.

Quæ est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis: sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum: in hoc enim vocati estis. 1. *Petr.* 2.

Hæc est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. 1. *Petr.* 2.

Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitiam, patiens injustè. 1. *Petr.* 2.

CAPUT XVIII.

De contemptu et fuga honorum et dignitatum hujus seculi.

Cum venturi essent ut raperent et facerent Jesum regem, fugit in montem ipse solus orare. *Joan.* 6.

Principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent: Non ita erit inter vos: quicunque voluerit major fieri inter

vos, erit vester minister, et qui voluerit primus esse, erit vester servus. *Matth.* 20.

Honore invicem prævenite. *Rom.* 12.

Cùm invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus, *etc.* *Luc.* 14.

Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. *Matth.* 18.

Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister. *Marc.* 9.

Qui minor est inter vos, hic major est. *Luc.* 9.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. *Luc.* 1.

Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. *Luc.* 18.

Glorietur humilis in exaltatione sua. *Jac.* 1.

CAPUT XIX.

De fuga inanis gloriæ.

Quomodo vos potestis credere, qu gloriam ab invicem accipitis, et glo-

riam, quæ à solo Deo est, non quæritis? *Joan.* 5.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. *Gal.* 5.

Nihil per inanem gloriam. *Phil.* 2.

Non qui seipsum commendat, probatus est : sed quem Deus commendat ille probatus est. 2. *Cor.* 10.

Non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me, Patris. *Joan.* 8.

Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. *Joan.* 8.

CAPUT XX.

De negligenda hominum laude et approbatione.

Væ cùm benedixerint vobis homines. *Luc.* 6.

Beati eritis cùm maledixerint vobis homines, et dixerint omne malum adversùm vos. *Matth.* 5.

Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. 1. *Petr.* 4.

Si hominibus placerem, Christi servus non essem. *Gal.* 1.

Loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. 1. *Thess.* 2.

Non quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. 1. *Thess.* 2.

Nemo glorietur in hominibus. 1. *Cor.* 3.

Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioqui mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. *Matth.* 6.

Cùm facis eleemosynam, noli tubâ canere, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis suis, et vicis, ut honorificentur ab hominibus ; amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth.* 6.

Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua ; et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth.* 6.

Cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth.* 6.

Cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito, et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth.* 6.

Cùm jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth.* 6.

Cùm jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris ab hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito, et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth.* 6.

CAPUT XXI.

Confirmanda bonis operibus vocatio et electio.

Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis. 2. *Petr.* 1.

Quid prodest, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? *Jac.* 2.

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. *Gal.* 6.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. *Matth.* 3.

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Matth.* 25.

Quisquis potum dabit vobis calicem aquæ frigidæ, in nomine meo, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Matth.* 10.

Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. 1. *Cor.* 3.

Unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc accipiet à Domino, sive servus, sive liber. *Ephes.* 6.

Deus reddet unicuique secundùm opera ejus : iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam : iis autem, qui sunt ex contentione, ira et indignatio. *Rom.* 2.

Quæ seminaverit homo, hæc et metet. *Gal.* 6.

Qui parcè seminat, parcè et metet. 2. *Cor.* 9.

CAPUT XXII.

De intentione omnium actionum, tum internarum, tum externarum hominis Christiani.

SECTIO I.

De gloria Dei : seu de cognitione, amore, et obsequio Dei.

Non quæro gloriam meam, sed ejus qui misit me, Patris. *Joan.* 8.

Soli Deo honor et gloria in secula seculorum. 1. *Tim.* 1.

Exultemus et demus gloriam Deo. *Apoc.* 19.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. *Matth.* 5.

Sive manducatis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite. 1. *Cor.* 10.

Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite. *Col.* 3.

Qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. 2. *Cor.* 5.

Sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur: sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. *Rom.* 14.

SECTIO II.

De continua intentione placendi Deo.

Ita, pater, quia sic est placitum ante te. *Matth.* 11.

Quæ placita sunt ei facio semper. *Joan.* 8.

Contendimus, sive absentes, sive præsentes, Domino placere. 2. *Cor.* 5.

An quæro hominibus placere? *Gal.* 1.

Si hominibus placerem, Christi servus non essem. *Gal.* 1.

Ambulate dignè Deo, per omnia placentes. *Coloss.* 1.

Non quasi hominibus placentes,

sed Deo, qui probat corda nostra. 1. *Thess.* 2.

Quomodo vos oportet ambulare et placere Deo, sic et ambulate. 1. *Thess.* 4.

Quidquid petierimus accipiemus à Deo, quoniam mandata ejus custodimus, et, ea quæ sunt placita coram eo, facimus. 1. *Joan.* 4.

CAPUT XXIII.

De necessitate divinæ gratiæ.

SECTIO I.

Omnia naturæ et gratiæ beneficia divinæ bonitati accepta, referenda sunt.

Quis te discernit? 1. *Cor.* 4.

Gratia Dei sum id quod sum. 1. *Cor.* 15.

Qui se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. *Gal.* 6.

Quid habes, quod non accepisti?

si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. *Cor.* 4.

Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. *Jac.* 1.

Unusquisque proprium donum accepit à Domino: alius quidem sic, alius verò sic. 1. *Cor.* 7.

Si quis existimat se aliquid scire, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. 1. *Cor.* 8.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. *Joan.* 15.

SECTIO II.

Nihil possumus nisi adjuti divinâ ope et gratiâ.

Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. 1. *Cor.* 12.

Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. 2. *Cor.* 3.

Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis: quia sine me nihil potestis facere. *Joan.* 15.

Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere. *Joan.* 15.

Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio. *Rom.* 7.

Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. *Rom.* 9.

Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre. *Joan.* 6.

Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. *Joan.* 6.

SECTIO III.

Nihil boni agimus divinâ ope et gratiâ destituti.

Non ego, sed gratia Dei mecum. 1. *Cor.* 15.

Deus operatur omnia in omnibus. 1. *Cor.* 12.

Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. 1. *Cor.* 12.

Deus est qui operatur in omnibus velle et perficere ; pro sua bona voluntate. *Phil.* 2.

Neque qui plantat est aliquid, ne-

que qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. 1. *Cor.* 3.

Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus. *Luc.* 17.

Qui gloriatur, in Domino glorietur. 1. *Cor.* 1.

SECTIO IV.

Divinæ gratiæ cooperandum.

Gratia Dei in me vacua non fuit. 1. *Cor.* 15.

Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. *Cor.* 6.

Ne quis desit gratiæ Dei. *Hebr.* 12.

Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Joan.* 1.

Vos semper Spiritui sancto resistitis. *Act.* 7.

CAPUT XXIV.

De Oratione.

SECTIO I.

Orationi vacandum.

Petite, et dabitur vobis : pulsate, et aperietur. *Matth.* 7.

Omnis qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur. *Matth.* 7.

Tristatur quis vestrum ? oret. *Jac.* 5.

Multùm valet deprecatio justi assidua. *Jac.* 5.

Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem. *Matth.* 26.

Si duo consenserint ex vobis super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet eis à patre meo, qui in cœlis est. *Matth.* 18.

Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Matth.* 18.

Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis pater meus, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se. *Matth.* 7.

SECTIO II.

Non intermittenda oratio.

Oportet semper orare, et nunquam deficere. *Luc.* 18.

Vigilate, et omni tempore orate. *Luc.* 21.

Sine intermissione orate. 1. *Thess.* 5.

Per omnem orationem et obsecrationem orate omni tempore in spiritu. *Ephes.* 6.

Volo viros orare in omni loco. 1. *Tim.* 2.

Orationi instate, vigilantes in gratiarum actionibus. *Col.* 4.

SECTIO III.

Perfectæ orationis conditiones.

Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. *Joan.* 14.

Quodcunque petieritis patrem in

nomine meo ; hoc faciam. *Joan.* 14.

Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, et eveniet vobis. *Marc.* 11.

Quodcunque petierimus secundùm Dei voluntatem, audit nos. 1. *Joan.* 5.

Petitis et non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. *Jac.* 4.

Peccatores Deus non exaudit, sed si quis Dei cultor est, voluntatem ejus facit. *Joan.* 9.

Cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ tristes : qui amant in Synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth.* 6.

Cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum, et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth.* 6.

Orantes, nolite multùm loqui, sicut Ethnici ; putant enim quòd in multiloquio suo exaudientur. *Matth.* 6.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

CAPUT XXV.

De Fide.

SECTIO I.

De Fidei necessitate.

PER fidem ambulamus, et non per speciem. 2. *Cor.* 5.

Accedentem ad Deum credere oportet quia est; et inquirentibus se remunerator est. *Hebr.* 11.

Sine fide impossibile est placere Deo. *Hebr.* 11.

Beati qui non viderunt, et crediderunt. *Joan.* 20.

In Christo neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per caritatem operatur. *Gal.* 5.

SECTIO II.

Non sine bonis operibus utilis Fides.

Fides sine operibus otiosa est. *Jac.* 2.

Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. *Jac.* 2.

Sicut corpus sine spiritu mortuum est : ita fides sine operibus mortua est. *Jac.* 2.

Quid proderit, si fidem quis dicat se habere : opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare eum? *Jac.* 2.

Ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantùm. *Jac.* 1.

Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, ita ut ardeam, *etc.* caritatem autem non habeam, nihil sum, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. 1. *Cor.* 13.

SECTIO III.

Fructus Fidei.

Justus ex fide vivit. *Rom.* 1.

Omnia possibilia sunt credenti. *Marc.* 9.

Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi illinc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis. *Matth.* 17.

In omnibus sumite scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. *Ephes.* 6.

CAPUT XXVI.

De Spe.

Spes non confundit. *Rom.* 5.

Omnis qui credit in eum, non confundetur. *Rom.* 9.

Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus ad Deum. 1. *Joan.* 3.

Omnia possum in eo qui me confortat. *Phil.* 4.

Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis ? 1. *Petr.* 3.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom.* 8.

Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Rom.* 10.

Habete fidem Dei : amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti, Tollere, et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. *Marc.* 11.

Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi Domini nostri. 1. *Cor.* 1.

CAPUT XXVII.

De sui-ipsius diffidentia.

Non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet. 2. *Cor.* 1.

Qui se existimat stare, videat ne cadat. 1. *Cor.* 10.

Noli altum sapere, sed time. *Rom.* 11.

Dicis, dives sum et locupletatus, et nullius egeo: et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. *Apoc.* 3.

CAPUT XXVIII.

De amore hominum erga Deum.

SECTIO I.

Jubemur Deum diligere.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis, et ex tota mente tua. *Luc.* 10.

Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. 1. *Joan.* 4.

Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habuero, nihil sum: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. 1. *Cor.* 13.

Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. 1. *Cor.* 13.

Si distribuero in cibos pauperum omnes meas facultates : si tradidero corpus meum, ita ut ardeat, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1. *Cor.* 13.

Super omnia caritatem habete, quæ est vinculum perfectionis. *Col.* 3.

Si quis non amat Dominum JESUM, sit anathema. 1. *Cor.* 16.

Finis præcepti est caritas, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. 1. *Tim.* 1.

SECTIO II.

Effectus amoris erga Deum.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Rom.* 8.

Si quis diligit me, diligetur à patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. *Joan.* 14.

Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo. 1. *Cor.* 8.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus dili-

get eum, et apud eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Joan.* 14.

SECTIO III.

Qua ratione observandum Caritatis præceptum.

Si diligitis me, mandata mea servate. *Joan.* 14.

Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. *Joan.* 15.

Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. *Joan.* 14.

Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus. 1. *Joan.* 5.

Hæc est caritas ut ambulemus secundùm ejus mandata. 2. *Joan.*

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. *Joan.* 15.

Timor non est in caritate. 1. *Joan.* 4.

Perfecta caritas foras mittit timorem. 1. *Joan.* 4.

Qui timet non est perfectus in caritate. 1. *Joan.* 4.

Quis nos separabit à caritate Christi?

tribulatio? an angnstia? an fames? an nuditas? an persecutio? an gladius? *Rom.* 8.

Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in CHRISTO JESU. *Rom.* 8.

SECTIO IV.

Vult Deus unicè à nobis diligi, et serviri.

Nemo potest duobus dominis servire. *Luc.* 16.

Non potestis Deo servire et mammonæ. *Luc.* 16.

Si quis diligit mundum, non est caritas patris in eo. 1. *Joan.* 2.

Quicunque voluerit esse amicus hujus seculi, inimicus Dei constituitur. *Jac.* 4.

Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. *Apoc.* 3.

CAPUT XXIX.

De Dei timore.

DEUM timete. 1. *Petr.* 2.

Cum metu et tremore operamini vestram salutem. *Phil.* 2.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, et post hoc non habent ampliùs quid faciant. *Matth.* 10.

Timete eum, qui potest et corpus et animam perdere in gehennam. *Luc.* 12.

Timorem eorum ne timueritis et non conturbemini. 1. *Petr.* 3.

Horrendum est incidere in manus Dei viventis. *Hebr.* 10.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! *Rom.* 11.

Vide bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te, bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioqui et tu excideris. *Rom.* 11.

Serviamus, placentes Deo, cum metu et reverentia. *Hebr.* 12.

CAPUT XXX.

De caritate erga proximum.

SECTIO I.

De præcepto diligendi proximum.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. *Matth.* 19.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. *Joan.* 15.

Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *Joan.* 15.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *Joan.* 13.

Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat et proximum. 1. *Joan.* 4.

Diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est. 1. *Joan.* 4.

Ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos. *Ephes.* 5.

Si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. 1. *Joan.* 4.

Omnis qui diligit eum, qui genuit, diligit et eum, qui natus est ex eo. 1. *Joan.* 5.

In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, et mandata ejus faciamus. 1. *Joan.* 5.

Nemini quidquam debeatis, nisi ut diligatis invicem. *Rom.* 13.

Super omnia caritatem habete, quæ est vinculum perfectionis. *Col.* 3.

Ante omnia mutuam in vosmetipsis caritatem habete, quia caritas operit multitudinem peccatorum. 1. *Petr.* 4.

Si linguis hominum loquar et Angelorum, caritatem autem non habeam, nihil sum; factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. 1. *Cor.* 13.

Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam: et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. 1. *Cor.* 13.

Et si distribuero in cibos pauperum omnes meas facultates, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1. *Cor.* 13.

SECTIO II.

De excellentia amoris erga proximum.

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *Joan.* 13.

Qui non diligit Deum, non novit, quia Deus caritas est. 1. *Joan.* 4.

Omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. *ibid.*

Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est. *ibid.*

Qui diligit proximum, legem implevit. *Rom.* 13.

Diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holocautaumatis. *Marc.* 12.

Plenitudo legis est dilectio. *Rom.* 13.

CAPUT XXXI.

De officiis humanæ caritatis.

SECTIO I.

Qua ratione observandum præceptum de diligendo proximo.

Non diligamus verbo neque linguâ, sed opere et veritate. 1. *Joan.* 3.

Fraternitatis amore simplici ex corde invicem diligite. 1. *Petr.* 1.

Majorem caritatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Joan.* 15.

In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ipse pro nobis animam suam posuit : et nos debemus pro fratribus animas ponere. 1. *Joan.* 3.

Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis ; hoc est enim lex et Prophetæ. *Matth.* 7.

Omnia vestra fiant in caritate. 1. *Cor.* 16.

Dilectio proximi malum non operatur. *Rom.* 13.

Caritas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur. 1. *Cor.* 13.

Caritas non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum. 1. *Cor.* 13.

Caritas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. 1. *Cor.* 13.

Per caritatem spiritûs servite invicem. *Gal.* 6.

SECTIO II.

Pura, simplex et sincera debet esse voluntas erga proximum.

Benefacite et mutuum date, nihil inde sperantes, et erit merces vestra multa : et eritis filii Altissimi, qui solem suum oriri facit super ingratos et malos. *Luc.* 6.

Si mutuum dederitis iis à quibus speratis, quæ vobis gratia est, nam et peccatores hoc faciunt. *Luc.* 6.

Cùm facis convivium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fra-

tres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne fortè et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio. *Luc.* 14.

Cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos: et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur autem tibi in die judicii. *Luc.* 14.

Nemo quod suum est quærat, sed quod est alterius. 1. *Cor.* 10.

Non quæ sua singuli, sed quæ aliorum considerantes. *Phil.* 2.

SECTIO III.

Patienter ferendæ aliorum tum corporis, tum animi infirmitates.

Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. *Gal.* 6.

Cum omni humilitate, et mansuetudine, et patientia, supportate invicem in caritate. *Ephes.* 4.

Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere. *Rom.* 15.

Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos, in honorem Dei. *Ibid.*

Quæ videntur membra corporis

infirmiora esse, necessariora sunt. 1. *Cor.* 12.

SECTIO IV.

Non sibi, sed aliis placendum, quantum æquitas et ratio postulat.

Christus non sibi placuit. *Rom.* 15.

Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. 1. *Cor.* 9.

Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. 1. *Cor.* 9.

Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem. 1. *Cor.* 9.

Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. 1. *Cor.* 9.

Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. 1. *Cor.* 10.

Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. *Rom.* 12.

Unusquisque proximo suo placeat, in ædificationem. *Rom.* 15.

Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. *Rom.* 15.

Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundùm caritatem ambulas. *Rom.* 14.

SECTIO V.

De ingeniorum et animorum consensione.

Idem sapite, eamdem caritatem habete, unanimes, idipsum sentientes. *Phil.* 2.

Si fieri potest, cum omnibus pacem habete; idipsum invicem sentientes. *Rom.* 12.

Quæ pacis sunt sectemur. *Rom.* 14.

Deus solatii et patientiæ, det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundùm Jesum Christum. *Rom.* 15.

Observate eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis: hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. *Rom.* 16.

Obsecro vos per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dica-

tis omnes : et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et eadem sententia. 1. *Cor.* 1.

Si quis videtur inter vos contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 1. *Cor.* 11.

Non est Judæus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina; omnes enim unum estis in Christo Jesu. *Gal.* 3.

Deus pacis det vobis pacem sempiternam, in omni loco. 2. *Thess.* 3.

Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *Hebr.* 12.

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur. *Matth.* 12.

CAPUT XXXII.

De Misericordia.

Estote misericordes, sicut pater vester cœlestis misericors est. *Luc.* 6.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* 5.

Judicium sine misericordia, ei qui non facit misericordiam. *Jac.* 2.

Misericordiam volo, et non sacrificium. *Matth.* 12.

Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ. *Col.* 3.

Estote invicem benigni, misericordes. *Ephes.* 4.

CAPUT XXXIII.

De Eleemosyna.

VENDITE quæ possidetis, et date eleemosynam. *Luc.* 12.

Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. *Luc.* 11.

Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit sua viscera ab eo, quomodo caritas Dei est in eo? 1. *Joan.* 3.

Si frater aut soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem illis aliquis ex vobis, ite in pace, non dederitis autem ex eis, quæ sunt necessaria corpori, quid proderit? *Jac.* 1.

Qui habet duas tunicas, det non habenti : et qui habet escas, similiter faciat. *Luc.* 3.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc.* 16.

Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Matth.* 25.

Cùm facis eleemosynam, noli tubâ canere, sicut hypocritæ, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth.* 6.

Cùm facis eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua ; et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth.* 6.

CAPUT XXXIV.

De Christiana liberalitate.

DATE et dabitur vobis. *Luc.* 6.

Gratis accepistis, gratis date. *Matth.* 10.

Qui petit à te, da ei ; et volenti à te mutuari, ne avertaris. *Matth.* 5.

Omni petenti te, tribue; et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. *Luc.* 6.

Benefacite et mutuum date, nihil inde sperantes. *Luc.* 6.

Si mutuum dederitis iis, à quibus speratis, quæ vobis gratia est? Nam et peccatores hoc faciunt. *Luc.* 6.

Si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? nonne et Ethnici hoc faciunt? *Matth.* 5.

Beatius est magis dare, quàm accipere. *Act.* 20.

Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus. *Hebr.* 13.

CAPUT XXXV.

De officiis Christiani hominis erga inimicos.

SECTIO I.

Christianus neminem odisse debet.

Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est. 1. *Joan.* 2.

Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quò vadat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. 1. *Joan.* 1.

Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum odit, hic mendax est : qui enim fratrem suum, quem videt, non diligit; Deum quem non videt, quomodo diliget ? 1. *Joan.* 4.

Qui non diligit fratrem suum, ex Deo non est. 1. *Joan.* 3.

Qui non diligit, manet in morte 1. *Joan.* 3.

Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus caritas est. 1. *Joan.* 4.
Qui odit fratrem suum, homicida est. 1. *Joan.* 3.

SECTIO II.

Hostes ipsos debet amore prosequi.

Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos : orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, super justos et injustos. *Matth.* 5.
Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? Nonne et Ethnici hoc faciunt ? *Matth.* 5.
Si diligitis qui vos diligunt, quæ est vobis gratia ? Nam et peccatores diligentes se diligunt. *Luc.* 6.
Si benefacitis iis, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia ? si quidem et peccatores hoc faciunt. *Luc.* 6.
Si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis ? Nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. *Luc.* 6.

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi : hoc enim faciens carbones ignis congeres in caput ejus. *Rom.* 12.

Noli vinci à malo : sed vince in bono malum. *Rom.* 12.

Benedicite persequentibus vos : benedicite, et nolite maledicere. *Rom.* 12.

Benedicite maledicentibus vos : orate pro calumniantibus vos. *Luc.* 6.

Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum : si audierit te, lucratus eris fratrem tuum. *Matth.* 18.

SECTIO III.

Ferendæ injuriæ.

Ego dico vobis, non resistere malo : sed si quis te percusserit in maxillam dexteram, præbe illi et alteram. *Matth.* 5.

Ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. *Matth.* 5.

Non reddatis malum pro malo, nec maledictum pro maledicto : sed

è contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. 1. *Petr.* 3.

Ne quis malum pro malo reddat, sed semper quod bonum est sectamini invicem, et in omnes. 1. *Thess.* 5.

Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. *Rom.* 12.

Non vosmetipsos defendite, sed date locum iræ, scriptum est enim, Mihi vindicta. *Rom.* 12.

Ei qui aufert tua, ne repetas. *Luc.* 6.

Ab eo qui aufert tibi vestimentum tuum, et tuam tunicam noli prohibere. *Luc.* 6.

SECTIO IV.

De venia inimicis danda.

Dimittite et dimittemini. *Luc.* 6.

Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. *Matth.* 6.

Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et pater vester cœlestis dimittet vobis delicta vestra. *Matth.* 6.

Si non dimiseritis hominibus pec-

cata eorum, nec pater vester cœlestis dimittet vobis delicta vestra. *Matth.* 6.

Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. *Luc.* 17.

Si septies in die peccavit frater tuus, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi. *Luc.* 17.

Supportate invicem, et donate vobismetipsis si quis adversùs aliquem habet querelam, sicut et Christus donavit nobis. *Col.* 3.

Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum, et vade priùs reconciliari fratri tuo, et veniens offeres munus tuum. *Matth.* 5.

Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis. *Marc.* 4.

Estote invicem benigni, misericordes : donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. *Ephes.* 4.

Estote misericordes sicut et pater vester misericors est. *Luc.* 6.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth.* 5.

Judicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam. *Jac.* 2.

Misericordiam volo, et non sacrificium. *Matth.* 12.

CAPUT XXXVI.

De Justitia.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. *Matth.* 22.

Reddite omnibus debitum: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem: cui timorem, timorem. *Rom.* 13.

Domini, quod æquum et justum servis præstate; scientes quòd et vos Dominum habetis in cœlo. *Col.* 4.

Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate. *Joan.* 7.

Qui injuriam facit, recipiet quod injustè gessit; non est enim acceptio personarum apud Deum. *Col.* 3.

CAPUT XXXVII.

De Prudentia.

SECTIO I.

De Prudentia Christiana.

Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Matth.* 10.

Estote prudentes, et vigilate in orationibus. 1. *Petr.* 4.

Volo vos esse prudentes in bono, et simplices in malo. *Rom.* 16.

Nolite credere omni spiritui; sed probate spiritus, si ex Deo sunt. 1. *Joan.* 4.

Si quis videtur inter vos sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens. 1. *Cor.* 3.

Quæ de sursum est sapientia, primùm pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ et fructibus bonis, judicans sine simulatione. *Jac.* 3.

Prudentia spiritûs, vita et pax. *Rom.* 8.

Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, et dabitur ei. *Jac.* 1.

Sapientiam non hujus seculi, neque Principum hujus seculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam, in mysterio, quæ abscondita est; quam nemo principum hujus seculi cognovit. 1. *Cor.* 2.

Omnia honestè, et secundùm ordinem facite. 1. *Cor.* 14.

Omnia probate, quod bonum est tenete. 1. *Thess.* 5.

SECTIO II.

De mundana et politica prudentia.

Prudentia carnis mors est. *Rom.* 8.

Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi. 1. *Cor.* 1.

Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim subjecta non est. *Rom.* 8.

Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam prudentum reprobabo. 1. *Cor.* 1.

Nolite prudentes esse apud vosmetipsos. *Rom.* 12.

Attendite à falsis Prophetis, qui

veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. *Matth.* 7.

Confiteor tibi, pater, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. *Matth.* 11.

Filii hujus seculi prudentiores filiis lucis, in generatione sua sunt. *Luc.* 16.

CAPUT XXXVIII.

De simplicitate Christiana.

Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Matth.* 10.

Sitis sine querela, simplices, filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis perversæ. *Phil.* 2.

Volo vos esse prudentes in bono, et simplices in malo. *Rom.* 15.

Simplici ex corde invicem diligite attentiùs. 1. *Petr.* 1.

Gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali conversati sumus in hoc mundo. 2. *Cor.* 1.

Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. *Matth.* 18.

Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum. *Luc.* 18.

Nolite effici pneri sensibus, sed malitiâ parvuli estote. 1. *Cor.* 14.

Quicunque non acceperit regnum Dei, sicut puer, non intrabit in illud. *Luc.* 18.

CAPUT XXXIX.

De fortitudine Christiana.

Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. *Matth.* 11.

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, et post hoc non habent ampliùs quid faciant. *Matth.* 10.

Timorem eorum ne timueritis, et non conturbemini. 1. *Petr.* 3.

Cùm audieritis prælia et seditiones, nolite terreri. *Luc.* 21.

Nolite terreri ab adversariis; quæ enim est illis causa perditionis, vobis est causa salutis, *Phil.* 1.

Resistite diabolo, et fugiet à vobis. *Jac.* 4.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet. *Joan.* 14.

CAPUT XL.

De Temperantia.

Sobrii estote, et vigilate. 1. *Petr.* 5.

Vigilemus et sobrii simus. 1. *Thess.* 5.

Sobriè, justè, et piè vivamus in hoc seculo. *Tit.* 2.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. *Matth.* 4.

Regnum Dei non est esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. *Rom.* 14.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto. *Ephes.* 5.

Sicut in die, honestè ambulemus; non in comessationibus, et ebrietatibus; non in cubilibus et immunditiis. *Rom.* 13.

Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. *Joan.* 6.

CAPUT XLI.

De Patientia.

In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Luc.* 21.

Patientia vobis necessaria est, ut benefacientes reportetis promissionem. *Hebr.* 10.

Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, benignatem, modestiam, et patientiam. *Col.* 3.

Cum patientia supportate invicem, in caritate. *Ephes.* 4.

Patientes estote ad omnes. 1. *Thes.* 5.

Patientes estote, fratres, usque ad adventum Domini. *Jac.* 5.

Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen; aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ. *Hebr.* 12.

Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia. 2. *Cor.* 6.

Probatio vestræ fidei patientiam

operatur : patientia autem opus perfectum habet. *Jac.* 1.

Tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio verò spem. *Rom.* 5.

CAPUT XLII.

De mansuetudine et affabilitate Christiana.

DISCITE à me, quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. *Matth.* 11.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *Matth.* 5.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *Matth.* 5.

Mitto vos sicut oves in medio luporum. *Matth.* 10.

Ostendite mansuetudinem ad omnes homines. *Tit.* 3.

Induite vos sicut electi Dei, et sancti, et dilecti, benignitatem, modestiam, patientiam. *Col.* 3.

Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, doci-

bilem, patientem; cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati. 2. *Tim.* 2.

Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. *Gal.* 6.

Si quis non obedit verbo, nolite eum quasi inimicum existimare; sed corripite eum, ut fratrem. 2. *Thess.* 3.

Stultas et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites. 2. *Tim.* 2.

Estote invicem benigni, misericordes, *etc.* *Ephes.* 4.

Caritas patiens est, benigna est, *etc.* 1. *Cor.* 13.

CAPUT XLIII.

De humilitate Christiana.

Discite à me, quia mitis sum et humilis corde. *Matth.* 11.

Humiliavit semetipsum Christus Dominus, factus obediens usque ad

mortem, mortem autem crucis. *Phil.* 2.

Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. *Matth.* 18.

Quicunque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. *Matth.* 18.

Qui se humiliat, exaltabitur; et qui se exaltat, humiliabitur. *Matth.* 23.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. *Luc.* 1.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Jac.* 4.

Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. *Jac.* 4.

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. 1. *Petr.* 5.

Omnes invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 1. *Petr.* 5.

In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. *Phil.* 2.

Glorietur humilis in exaltatione sua. *Jac.* 1.

CAPUT XLIV.

De obedientia hominis Christiani erga Deum.

SECTIO I.

Obedientiam erga Deum docet nos suo exemplo Christus.

In his quæ patris mei sunt, oportet me esse. *Luc.* 2.

Ita, pater, quoniam sic placitum est ante te. *Matth.* 11.

Quæ placita sunt ei, facio semper. *Joan.* 8.

Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, et perficiam opus ejus. *Joan.* 4.

Non quæro voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. *Joan.* 5.

Descendi è cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. *Joan.* 6.

Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra. *Matth.* 6.

Non mea, sed tua voluntas fiat. *Luc.* 22.

Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. *Joan.* 14.

Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Phil.* 2.

SECTIO II.

Divinis mandatis obsequendum.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. *Matth.* 19.

Obedire Deo oportet magis, quàm hominibus. *Act.* 5.

Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, hic mendax est, et veritas in eo non est. 1. *Joan.* 2.

Quid vocatis me Domine, Domine, et non facitis ea quæ dico? *Luc.* 6.

Estote factores verbi, et non auditores tantùm. *Jac.* 1.

Non auditores legis, sed factores justi sint apud Deum. *Rom.* 2.

Circumcisio prodest, si legem observes: si autem prævaricatus es, circumcisio facta est præputium. *Rom.* 2.

Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei. 1. *Cor.* 7.

Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. *Jac.* 2.

SECTIO III.

De eorum prærogativa, qui divinis mandatis obtemperant.

Si diligitis me, mandata mea servate. *Joan.* 14.

Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. *Joan.* 14.

Hæc est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus. 1. *Joan.* 5.

Hæc est caritas, ut ambulemus secundùm ejus mandata. 2. *Joan.*

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. *Joan.* 15.

Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut et ego patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. *Joan.* 15.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et pater meus diliget eum,

et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. *Joan.* 14.

Qui servat mandata Dei, in illo manet, et ipse in Deo. 1. *Joan.* 3.

Qui servat verbum ejus, verè in hoc caritas Dei perfecta est; et in hoc scimus quoniam in ipso sumus. 1. *Joan.* 2.

SECTIO IV.

Alii fructus obsequentium divinis mandatis.

In hoc scimus quoniam cognovimus Deum, si mandata ejus observamus. 1. *Joan.* 2.

Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum. *Joan.* 8.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, et fiet vobis. *Joan.* 15.

Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Matth.* 5.

Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, hic minimus vocabitur in regno cœlorum. *Matth.* 5.

CAPUT XLV.

De debito hominibus obsequio.

SECTIO I.

Amore et obsequio prosequendi Magistratus, et superiores Ecclesiastici.

Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. *Luc.* 10.

Rogo vos ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis eos abundantiùs in caritate, propter opera eorum. 1. *Thess.* 5.

Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditurі. *Hebr.* 13.

Super cathedram Moysi sederunt scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate et facite. *Matth.* 23.

SECTIO II.

De debita Magistratui seculari obedientia.

Non est potestas nisi à Deo : quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. *Rom.* 13.

Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. *Rom.* 13.

Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *Rom.* 13.

Necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. *Rom.* 13.

Subditi estote omni humanæ creaturæ, propter Dominum, quia sic est voluntas Dei. 1. *Petr.* 2.

Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire; ad omne opus bonum paratos esse. *Tit.* 3.

SECTIO III.

De liberorum erga parentes obedientia.

Jesus erat subditus illis. *Luc.* 2.

Filii obedite parentibus vestris; hoc enim placitum est Domino. *Col.* 3.

Filii obedite parentibus in Domino; hoc enim justum est. *Ephes.* 6.

SECTIO IV.

De debita dominis à famulis obedientia.

Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis et modestis, sed etiam discolis. 1. *Petr.* 2.

Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis vestri, timentes Deum. *Col.* 3.

Quodcunque facitis, ex animo operamini: sicut Domino, et non hominibus: scientes quòd à Domino

accipietis retributionem hæreditatis, Christo Domino servite. *Col.* 3.

Servi, obedite dominis carnalibus; cum timore et tremore; in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, voluntatem Dei facientes ex animo. *Ephes.* 6.

Cum bona voluntate servite, sicut Domino, et non hominibus, scientes quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc accipiet à Domino, sive servus, sive liber. *Ephes.* 6.

Quicunque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur. 1. *Tim.* 6.

Servos dominis suis subditos esse oportet, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes. *Tit.* 2.

CAPUT XLVI.

Omnis hujus vitæ felicitas in divinorum mandatorum observatione sita est.

Non omnis qui dicit mihi : *Domine*, *Domine*, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. *Matth.* 7.

Qui fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror, et mater est. *Matth.* 12.

Mundus transit et concupiscentia ejus ; qui autem facit Dei voluntatem, manet in æternum. 1. *Joan.* 2.

Probate quæ sit voluntas Dei, beneplacens et perfecta. *Rom.* 12.

Probate quid sit beneplacitum Deo. *Ephes.* 5.

Probate quæ sit voluntas Dei. *Ephes.* 5.

Impleamini agnitione voluntatis Dei. *Col.* 1.

Domine, quid me vis facere? *Act.* 9.

Domini voluntas fiat. *Act.* 21.

Ille servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis. *Luc.* 12.

CAPUT XLVII.

De animarum zelo.

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. *Matth.* 5.

Rogate dominum messis, ut mittat operarios in vineam suam. *Matth.* 9.

Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, et operiet multitudinem peccatorum. *Jac.* 5.

Si quis suorum, et maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. 1. *Tim.* 5.

Si zelum amarum habetis et contentionem, nolite gloriari; non est enim ista sapientia desursum, descendens à patre luminum, sed ter-

rena, animalis, et diabolica. *Jac.* 3.

Majorem horum non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare. *Joan.* 3.

Vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. 2. *Tim.* 4.

CAPUT XLVIII.

De bono exemplo.

Cœpit Jesus facere et docere. *Act.* 1.

Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. *Joan.* 13.

Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Matth.* 5.

In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum. *Tit.* 2.

Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. 1. *Tim.* 4.

Consolamini invicem, et ædificate alterutrum, sicut facitis. 1. *Thess.* 5.

Unusquisque proximo suo placeat ad ædificationem. *Rom.* 15.

Omnia ad ædificationem fiant. 1. *Cor.* 14.

Quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus. *Rom.* 14.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. *Matth.* 5.

Provideamus bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram homibus. 2. *Cor.* 8.

Noli imitari malum, scd quod bonum est. *Joan.* 3.

CAPUT XLIX.

Adversùs scandalum et malum exemplum.

Væ mundo à scandalis : necesse est enim ut veniant scandala. *Matth.* 18.

Væ illi per quem scandalum venit. *Matth.* 18.

Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei magis, ut suspendatur mola asinaria collo ejus, et demergatur in profundum maris. *Matth.* 18.

Non ponatis fratri offendiculum, vel scandalum. *Rom.* 14.

Sine offensione estote Ecclesiæ Dei. 1. *Cor.* 10.

Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. 1. *Cor.* 10.

Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum in quo frater meus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. *Rom.* 14.

Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. 1. *Cor.* 8.

Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. *Rom.* 14.

Videte ne hæc licentia offendiculum sit infirmis. 1. *Cor.* 8.

Malum est homini, qui per offendiculum manducat. *Rom.* 14.

Omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. 1. *Cor.* 9.

Modicum fermentum totam massam corrumpit. 1. *Cor.* 5

CAPUT L.

De lætitia spirituali.

SECTIO I.

De continua viri probi lætitia.

SEMPER gaudete. 1. *Thess.* 5.

Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. *Phil.* 4.

Quasi tristes, semper autem gaudentes. 2. *Cor.* 6.

Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in stabilem salutem operatur : seculi autem tristitia mortem operatur. 2. *Cor.* 7.

Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. 2. *Cor.* 9.

Omnia facite sine murmurationibus, et hæsitationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei. *Phil.* 2.

SECTIO II.

Quæ spiritualem lætitiam excitant?

Nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis. Gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in libro vitæ. *Luc.* 10.

Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Matth.* 5.

Omne gaudium existimate, cùm in vanas tentationes incideritis. *Jac.* 1.

Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. *Act.* 5.

CAPUT LI.

Quid loquenti observandum.

Sit omnis homo velox ad audiendum, et tardus ad loquendum. *Jac.* 1.

Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio. *Jac.* 1.

Sermo vester gratiâ salis conditus sit, ut sciatis quomodo unicuique oporteat vos respondere. *Col.* 4.

Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. *Matth.* 12.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est. *Jac.* 3.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei. 1. *Petr.* 4.

Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. *Ephes.* 4.

Ex abundantia cordis os loquitur. *Matth.* 12.

CAPUT LII.

Contra juramenta.

Ego dico vobis, non jurare omninò, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est. *Matth.* 5.

Sit sermo vester *est*, *est*, *non*, *non*. Quod enim his abundantius est, à malo est. *Matth.* 5.

Ante omnia nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. *Jac.* 5.

CAPUT LIII.

Adversùs mendacium.

Nolite mentiri invicem. *Col.* 3.

Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. *Ephes.* 4.

Nolite gloriari, et mendaces esse adversùs veritatem. *Jac.* 3.

Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et omnis qui amat aut facit mendacium. *Apoc.* 22.

CAPUT LIV.

Adversùs jurgia et verborum contentiones.

NOLITE contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. 2. *Tim.* 2.

Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, corripientem cum modestia eos, qui resistunt veritati. 2. *Tim.* 2.

Non in æmulatione et contentione; sed induimini Dominum JESUM. *Rom.* 13.

Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus. 1. *Cor.* 11.

CAPUT LV.

Adversùs judicia temeraria.

NOLITE judicare, ut non judicemini: nolite condemnare, ut non condemnemini. *Matth.* 7.

Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. 1. *Cor.* 4.

Tu quis es, qui judicas alienum servum? *Rom.* 14.

Tu quis es, qui judicas proximum tuum? *Jac.* 4.

Non ampliùs invicem judicemus. *Rom.* 14.

Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? *Luc.* 6.

Ejice primùm trabem de oculo tuo; et tunc videbis ejicere trabem de oculo fratris tui. *Luc.* 6.

Qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet. *Rom.* 14.

Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die : qui judicat me, Dominus est. 1. *Cor.* 4.

Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis. *Matth.* 7.

CAPUT LVI.

Quàm religiosa et sancta debeat esse vita Christiani.

Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. 1. *Thess.* 4.

Non vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 1. *Thess.* 4.

Pacem sequimini et sanctimoniam, sinè qua nemo videbit Deum. *Hebr.* 12.

Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, hæc cogitate, hæc facite. *Phil.* 4.

Qui justus est, justificetur adhuc : qui sanctus est, sanctificetur adhuc. *Apoc.* 22.

In omni conversatione vestra sancti sitis. 1. *Petr.* 1.

Dignè Evangelio Christi conversamini. *Phil.* 1.

Abnegantes impietatem, et secularia desideria, sobriè, justè, et piè vivamus in hoc seculo. *Tit.* 2.

Dignetur vos Deus vocatione suâ, et impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo, secundùm gratiam Domini nostri Jesu. 2. *Thess.* 1.

CAPUT LVII.

Omnis verus Christianus gaudeat se esse et dici Dei filium.

Ipse testimonium reddit spiritui nostro, quód sumus filii Dei. *Rom.* 8.

Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Joan.* 1.

Non accepistis spiritum servitutis, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. *Rom.* 8.

Quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. *Rom.* 8.

Omnis qui facit justitiam, ex Deo natus est. 1. *Joan.* 2.

Qui bene facit, ex Deo est. *Joan.* 3.

Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus. 1. *Joan.* 3.

Omnes estis filii Dei, per fidem, quæ est in CHRISTO JESU. *Gal.* 3.

Quoniam estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, pater. *Gal.* 3.

Omnia facite sine murmurationibus, et hæsitationibus, ut sitis sine querela, et simplices filii Dei. *Phil.* 2.

CAPUT LVIII.

Quo fervore, et qua animi alacritate Deo serviendum.

SPIRITU ferventes, Domino servientes. *Rom.* 12.

Licèt is qui foris est noster homo corrumpatur; tamen is, qui intùs est, renovatur de die in diem. 2. *Cor.* 4.

Renovamini spiritu mentis vestræ. *Ephes.* 4.

Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; utinam frigidus esses, aut calidus. *Apoc.* 3.

Quia tepidus es; nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. *Apoc.* 3.

CAPUT LIX.

De finali perseverantia.

Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit. *Matth.* 24.

Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam gloriæ. *Apoc.* 2.

Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus, non deficientes. *Gal.* 6.

Nolite deficere, benefacientes. 2. *Thess.* 3.

Non fatigemini, animis vestris deficientes. *Hebr.* 12.

In disciplina persevera. *Hebr.* 12.

Stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non sit inanis in Domino. 1. *Cor.* 15.

Sic currite ut comprehendatis. 1. *Cor.* 9.

Recogitate Jesum, qui talem ac tantam sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem, ut non fatigemini, animis vestris deficientes. *Hebr.* 12.

Qui vicerit dabo ei sedere mecum in thronomeo : sicut et ego vici et sedi in throno patris. *Apoc.* 3.

Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit. 2. *Tim.* 2.

Dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, *etc.* *Ephes.* 4.

Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 1. *Cor.* 7.

Unusquisque sicut vocavit Deus, ita ambulet. 1. *Cor.* 7.

Unusquisque in quo vocatus est, maneat apud Deum. 1. *Cor.* 7.

Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retrò, aptus est regno Dei. *Luc.* 9.

CAPUT LX.

De divinis attributis.

SECTIO I.

De Dei omnipotentia.

Beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium. 1. *Tim.* 6.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. *Joan.* 1.

Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. *Rom.* 11.

Non est impossibile apud Deum omne verbum. *Luc.* 1.

Omnia possibilia sunt apud Deum. *Marc.* 10.

Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. *Luc.* 18.

Quæcunque promisit Deus, potens est et facere. *Rom.* 4.

Voluntati ejus quis resistit? *Rom.* 9.

Potens est Deus omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus. *Ephes.* 3.

Humiliamini sub potenti manu Dei. 1. *Petr.* 5.

SECTIO II.

De divina et cœlesti Sapientia.

Soli sapienti Deo, per JESUM CHRISTUM, honor et gloria in secula seculorum. *Rom.* 16.

O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! *Rom.* 11.

Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum; placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. 1. *Cor.* 1.

Impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia et intellectu spiritali; ut ambuletis dignè Deo, per omnia placentes. *Col.* 1.

In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt. *Col.* 4.

Si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et dabitur ei. *Jac.* 1.

Quæ desursum est sapientiâ, primùm quidem pudica est, deinde

pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ, *etc.* *Jac.* 3.

SECTIO III.

De Dei bonitate et amore erga homines.

Unus est bonus, Deus. *Matth.* 19.

Deus caritas est; qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. 1. *Joan.* 4.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. *Joan.* 3.

Sicut dilexit me pater, et ego d-lexi vos. *Joan.* 15.

In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ipse pro nobis animam suam posuit. 1. *Joan.* 3.

Commendat Deus caritatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. *Rom.* 5.

Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo cum eo, omnia nobis non donavit? *Rom.* 8.

Videte qualem caritatem dedit

nobis pater, ut filii Dei nominemur et simus. 1. *Joan.* 3.

Jesus cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. *Joan.* 13.

Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. *Rom.* 5.

In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos, et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. 1. *Joan.* 4.

In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam unigenitum filium suum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. 1. *Joan.* 4.

SECTIO IV.

De divina Justitia.

Unus est judex, qui potest perdere et liberare. *Jac.* 4.

Reddet unicuique secundùm opera ejus. *Rom.* 2.

Qui injuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit, et non est acceptio personarum apud Deum. *Col.* 3.

Si justus vix salvabitur, impius et

peccator ubi parebunt? 1. *Petr.* 4.

Judicium Dei secundùm veritatem *Rom.* 2.

Horrendum est incidere in manus Dei viventis. *Hebr.* 10.

Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! *Rom.* 11.

SECTIO V.

De divina Misericordia.

Misericordia ejus à progenie in progenies: timentibus eum. *Luc.* 1.

Dives est Deus in misericordia. *Ephes.* 2.

Secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam. 1. *Petr.* 1.

Cujus vult miseretur; et quem vult indurat. *Rom.* 9.

Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. *Rom.* 9.

Misericors Dominus et miserator est. *Jac.* 5.

Non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam, salvos nos fecit. *Tit.* 3.

SECTIO VI.

De divina Providentia.

§. I. *Ad res omnes creatas pertinet divina Providentia.*

Deus operatur omnia, secundùm consilium voluntatis suæ. *Ephes.* 1.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Rom.* 8.

Scit pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. *Matth.* 6.

Omnes capilli capitis vestri numerati sunt, nolite timere. *Luc.* 12.

Capillus de capite vestro non peribit sine patre vestro. *Luc.* 21.

Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et pater vester pascit illa. *Matth.* 6.

Considerate corvos, qui non seminant, neque metunt; quibus non est cellarium neque horreum, et Deus pascit illos. *Luc.* 12.

Quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo, nec cadet super terram, sine patre vestro. *Luc.* 12.

Unus Deus, et pater omnium, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus nobis. *Ephes.* 4.

§. II. *Qua animi demissione, et voluntatis nostræ conformitate cum divina excipiendæ res omnes prosperæ et adversæ.*

O homo! quis es tu, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? *Rom.* 9.

An non habet figulus potestatem luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam? *Rom.* 9.

Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. 1. *Petr.* 5.

In omnibus gratias agite. 1. *Thess.* 5.

§. III. *Ex Dei nutu, ejusque voluntate pendere debemus.*

Nolite timere, multis passeribus meliores estis vos, et unus ex illis non cadet super terram, sine patre vestro. *Matth.* 10.

Omnem sollicitudinem projicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. 1. *Petr.* 5.

Nolite solliciti esse in crastinum, crastinus dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficiat diei malitia sua. *Matth.* 6.

Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? scit enim pater vester, qui in cœlis est, quia his omnibus indigetis. *Matth.* 6.

Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Phil.* 4.

Omnem sollicitudinem vestram projicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. 1. *Petr.* 5.

§. IV. *De divina Scientia.*

Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. *Hebr.* 4.

Deus scrutatur corda nostra. *Rom.* 8.

Spiritus scrutatur etiam profunda Dei. 1. *Cor.* 2.

Scrutans renes et corda Deus. *Apoc.* 2.

FINIS.

INDEX
AXIOMATUM
EVANGELICORUM.

CAPUT I.

De æterna hominis Christiani salute.

CAPUT II.

De Peccato.

Caput VIII.

Caput IX.

Caput X.

Caput XI.

Caput XII.

De quatuor novissimis.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

De cruce et doloribus.

CAPUT XVIII.

CAPUT XIX.

CAPUT XX.

CAPUT XXI.

CAPUT XXII.

CAPUT XXIII.

De necessitate divinæ gratiæ.

CAPUT XXIV.

De Oratione.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Caput XXV.

De Fide.

Caput XXVI.

Caput XXVII.

Caput XXVIII.

De amore hominum erga Deum.

Caput XXIX.

Caput XXX.

De caritate erga proximum.

Caput XXXI.

De officiis humanæ caritatis.

Caput XXXII.

Caput XXXIII.

Caput XXXIV.

Caput XXXV.

De officiis hominis Christiani erga inimicos.

Caput XXXVI.

Caput XLIII.

Caput XLIV.

De obedientia hominis Christiani erga Deum.

Caput XLV.

De debito hominibus obsequio.

CAPUT XLVI.

CAPUT XLVII.

CAPUT XLVIII.

CAPUT XLIX.

CAPUT L.

De lætitia spirituali.

Caput LI.

Caput LII.

Caput LIII.

Caput LIV.

Caput LV.

Caput LVI.

Caput LVII.

Caput LVIII.

FINIS.

DIES SACRA

SEU

PRECES DIURNAE

TOTIDEM FERE S. SCRIPTURAE VERBIS
CONTEXTAE

OPERA

IOANNIS SCOTTI

SOC. IESU SAC.

TAURINI

EX TYP. HYACINTHI MARIETTI

MDCCCXXIX

PIO LECTORI

Prodiit multis abhinc annis libellus iste suppresso auctoris nomine, atque adeo inscio auctore, qui sibi illum ex variis divinae Scripturae locis descripserat, ut cum Deo Optimo Maximo divino idiomate interdiu colloqueretur. Verum cum plurimi religiosi homines trahi se cognoscerent sacro hoc imprimis sermone, ad pietatemque mirifice commoveri, auctori supplicaverunt, ut auctum,

atque ex majori parte reformatum, opusculum typis iterum consignaret. Habes in eo, religiose Lector, quomodo ab excitatione matutina ad ipsam usque nocturnam corporis quietem diurnas actiones omnes ex ordine prosequaris piis quibusdam alloquiis, quorum non sensa modo, sed verba etiam omnia ex sacris Bibliorum libris decerpta sunt, atque collecta. Placuit singulis quibusque affectibus titulum praescribere, ut invenire facilius possis quo te juvari magis sentias, atque percelli.

Vale.

DIES SACRA

IN EXCITATIONE MATUTINA

§. I. *Gratiarum actio pro nocturna quiete, et initio diei.*

Domine Deus meus, Creator coeli et terrae, qui lucem inhabitas inaccessibilem. Tuus est dies, et tua est nox: tu fabricatus es Auroram et Solem, quem oriri facis super bonos et malos. Benedico te, quia vocasti me de tenebris ad lucem.

Ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi, quia tu, Domine, suscepisti me: factus es protector meus, et in requie mea repletus sum bonis. Repletus sum mane misericordia tua: exultavi, et delectatus sum. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

§. II. *Desiderium orationis, et praeparatio ad illam.*

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, ut adorem et laudem te. Praevenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua; quoniam oportet praevenire Solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare. De mane igitur vigilabo ad te, et in matutinis meditabor in te, qui es adiutor meus: quia qui mane vigilant ad te, invenient te.

Introibo in conspectu tuo in exultatione, et astabo tibi, dum te laudant simul astra matutina, et iubilant omnes filii Dei. Aperiam os meum in oratione, et pro delictis meis deprecabor. Confitebor Domino, qui fecit me, et in conspectu Altissimi deprecabor, et dilatabitur cor meum in meditatione mea. Offeram tibi holocaustum matutinum, et dirigetur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Et tu, quaeso, loquere, Domine, quia audit servus tuus. Beatus enim

quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos, qui convertuntur ad cor.

Luceat mihi lumen iustitiae, et lumen intelligentiae oriatur in me, ut crescam in gratia, et cognitione Domini nostri Jesu Christi, et semita mea sit quasi lux splendens, et crescens usque in perfectam diem.

§. III. *Laus Dei, et memoria Resurrectionis et Ascensionis Christi.*

Confitebor tibi, Domine Deus meus, confitebor tibi, et benedicet tibi anima mea, quia magnificatus es vehementer. Psallam tibi gloria mea, qui gloriosus de sepulchro surrexisti diluculo. Psallam tibi, qui ascendisti super coelum coeli ad orientem. Iubilabo tibi in voce exultationis, qui regnas super gentes, qui sedes super sedem sanctam tuam.

Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo Nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione, donec dies sancta illucescat, et Lucifer oriatur in corde

meo; donec videam diem tuum, Domine, diem, in quem iam nunc gaudeo, et exulto.

§. IV. *Oblatio sui, et rectitudo intentionis.*

Tu, Domine, Rex meus, et Deus meus: Dominus universorum tu es, et in ditione tua cuncta sunt posita. Deus meus es tu: in manibus tuis sortes meae. Tibi igitur, Domine, in simplicitate cordis mei laetus offero universa: omne quodcumque faciam, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agens Deo, et Patri per ipsum.

Sanctifica diem istam, et omnes dies vitae meae, ut placeam coram te in lumine viventium: ut delecter in matutina oblatione primitiarum mearum: ut in laetitia serviam tibi, et in operibus manuum tuarum exultem, et reddam tibi vota mea de die in diem.

Sanctifica me in veritate, ut possim in omnibus placere tibi, qui es sanctus in omnibus operibus tuis; per dilectum Filium tuum, qui clarificavit te super terram, et in quo tibi complacuisti; per

quem est tibi honor, et gloria in omnes generationes.

§. V. *Imploratio protectionis divinae, et sanctorum Angelorum custodiae.*

Expande nubem in protectionem meam, Domine. In velamento alarum tuarum exultem, et adhaereat anima mea post te, ac me suscipiat dextera tua. Sub umbra alarum tuarum protege me, et sis mihi a dextris, ne commovear.

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre; spes mea ab uberibus matris meae. In te proiectus sum ex utero. De ventre matris meae, Deus meus, tu es protector meus.

Qui mandasti Angelis tuis de me, ut custodiant me in omnibus viis meis, mitte Angelum sanctum tuum, qui praecedat me, et custodiat in via, et introducat in locum, quem parasti.

§. VI. *Invocatio divinae Sapientiae, et Spiritus sancti.*

Qui fecisti omnia verbo tuo, et sapien-

tia tua constituisti hominem, Creator omnipotens, Deus potens, et metuendus nimis, da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam, ut sciam, quid sit placitum oculis tuis, et quid directum in praeceptis tuis.

Mitte illam de coelis sanctis tuis, et de sede magnitudinis tuae, ut mecum sit, et mecum laboret, quoniam servus tuus sum ego. Deducat me in operibus suis, et custodiat me in sua potentia, ut sint accepta opera mea, et Nomen sanctum tuum collaudem, et glorier in mirabilibus tuis.

Qui nosti solus cor filiorum hominum, mitte Spiritum sanctum tuum de altissimis, et da timorem tuum in corde meo, ut non recedam a te; sed ambulem in via bona: ut declinem a malo, et servem semitas iustitiae, et viam sanctorum custodiam, perficiens sanctificationem in timore tuo, et gratias agens tibi omnibus diebus vitae meae, quia tu es Dominus Deus noster, et laudabimus te in saecula saeculorum. Amen.

§. VII. *Zelus animarum, et cura pastoralis.*

O bone Iesu, Sol iustitiae, Lux vera, quae venisti in mundum, et illuminas omnem hominem; sed dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: illumina eos, qui in tenebris et in umbra mortis sedent. Surgant de somno suo; nox enim praecessit, dies autem appropinquavit. Abiiciant ergo opera tenebrarum, et induantur arma lucis.

Mane surgam ad vineas. Vineam meam custodiam, in qua tu, Domine, custodem me posuisti; ne auferatur a me regnum tuum, et detur alteri facienti fructus eius. Tu, qui elegisti me, et posuisti me, fac, ut eam, et fructum afferam, et fructus meus maneat.

Tu, qui vocasti me, ut essem lux mundi, da, sic luceat lux mea coram hominibus, ut videant opera mea bona, et glorificent te Patrem meum, qui in coelis es. Clarificem te hodie super terram, quemadmodum clarificavit te dilectus Filius tuus, qui dixit: Me oportet operari opera

eius, qui misit me, donec dies est: Qui splendor est gloriae, et candor lucis aeternae, et tecum, et cum Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

AD PRIMAM

Tu, Domine Deus, miserator, et misericors, possedisti me in initio viarum tuarum, antequam quidquam faceres a principio; charitate enim perpetua dilexisti me: et attraxisti me, miserans, in funiculis Adam, in vinculis charitatis. Vocasti me quoque in sanctuarium tuum, ut lucerem super candelabrum omnibus, qui in domo sunt. Ecce ego, Domine, quia vocasti me. Da, ut sim vigilans usque ad mortem, et confirmem caeteros: nec obliviscar Testamenti tui. Da has leges in corde meo, et in mente mea scribe illas: ut ambulem digne vocatione, qua vocatus sum a diebus antiquis: ut gratia tua in me non sit vacua: ut omnia opera mea sint plena coram te Deo meo: ut non relinquam charitatem primam, ne incipias me evomere ex ore tuo. Teneam, Domi-

ne, quod habeo, ne alter accipiat coronam meam.

AD TERTIAM

Domine Deus meus, qui hora diei tertia super discipulos tuos, perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre tua, expectantes promissionem Patris, quam audierant per os tuum, misisti Spiritum sanctum, effunde super me, et super omnem carnem de Spiritu sancto tuo.

Repleat, Domine, cor meum et mentem meam, sicut replevit totam domum, ubi erant sedentes discipuli tui. Veniat de coelo ignis tuus sanctus, quem venisti mittere in terram, ut, accipiens virtutem Spiritus sancti in me, possim loqui magnalia tua. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur; et renovabis faciem terrae.

Induar, Domine, virtute ex alto, ut loquar cum fiducia verbum tuum. Veniat Spiritus veritatis, qui doceat me omnem veritatem, et suggerat mihi quaecumque dixisti.

Mitte Spiritum tuum in corda filiorum

tuorum, clamantem, Abba Pater, Spiritum adoptionis, et fiat cor meum templum Dei vivi, et Spiritus sanctus habitet in me, et deducat me in viam rectam, ut laudem et glorificem te in saecula saeculorum. Amen.

AD SEXTAM

Dominator vitae meae Deus meus: ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi. Oritur Sol, et occidit, et ad locum suum revertitur; ibique renascens girat per meridiem, et flectitur ad aquilonem, lustrans universa. Vespere igitur, mane, et meridie narrabo, et annunciabo, et exaudies vocem meam.

Oculi tui, Domine, super timentes te; protector potentiae, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani.

Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris. Consurgam, et ascendam in meridie in palmam, et apprehendam fructus eius.

Contemplabor Iesum, qui hora sexta crucifixus est. Aspiciam in auctorem fidei, et consummatorem Iesum, qui pendens in ligno non habet ubi caput suum reclinet. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedebo, et fructus illius dulcis gutturi meo. Stabo iuxta crucem, et hauriam aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et miserationum Domini recordabor.

O Sol iustitiae, qui occidisti in meridie, et tenebrescere fecisti terram in die luminis, ne occidas super me; sed sis mihi in lucem sempiternam, et Deus meus in gloriam meam. Amen.

AD NONAM

Domine Deus meus, formans lucem, et creans tenebras. Ecce dies declinior est ad occasum, et propinquat ad vesperam. Mane apud me etiam hodie, ut ducam laetam diem.

Da, ut reliquum huius diei, et vitae meae, cum gaudio sit, et cum bono profectu timoris tui; ut testimonium praebeam in conspectu tuo, et Iesu Christi Filii tui; ut ornem tempora usque ad consumma-

tionem vitae, et laudem nomen sanctum tuum, et amplificem tuam sanctitatem, donec videam te, Deus meus, cui gloria nunc, et in diem aeternitatis.

Et nunc, Domine, ascendo ad horam orationis nonam, memor sanctissimae mortis tuae, quando hora nona exclamasti: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? et cum accepisses acetum, dixisti: Consummatum est; et commendans Patri spiritum tuum, iterum clamans voce magna, inclinato capite, expirasti.

Ne derelinquas me in hora tribulationis, et transitus mei. Ad te clamabo, ut salvus sim: in te sperabo, ut non sim confusus. In manus tuas commendo spiritum meum, a quo emptus sum pretio magno.

Memento mei, dum veneris in regnum tuum. Fac, ut audiam ex ore tuo, quod conversus ad latronem in cruce pendentem dixisti: Hodie mecum eris in paradiso: ut intrans in gloriam tuam glorificem te in saecula saeculorum. Amen.

PRECES VESPERTINAE

EXAMEN CONSCIENTIAE

§. I. *Gratiarum actio pro beneficiis.*

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Benedic, anima mea, Domino, et omnia quae intra me sunt, Nomini sancto eius. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones eius.

Creatio, et conservatio, et custodia.

Tu, Domine, formasti me de limo terrae ad imaginem et similitudinem tuam. Spiritus tuus, Domine, fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me; ut viveret anima mea, et laudaret te; ut recordarer Creatoris mei omnibus diebus vitae meae; et invocarem Deum meum in omni tempore.

Tu conservas me creaturam tuam, opus manuum tuarum; et das mihi escam in tempore opportuno. Tu regis me, et

gubernas me; et tibi est cura de me; et mandasti Angelis tuis de me, ut custodiant me in omnibus viis meis.

Redemptio, fides, et iustificatio.

Tu dedisti mihi Filium tuum unigenitum, qui dilexit, et lavit me in sanguine suo. Locutus es nobis in Filio, et dedisti nobis Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, qui testimonium perhibet de te, et Iesu Christo Filio tuo, Deo vivo, et vero.

Tu vocasti me de tenebris in admirabile lumen tuum; ad agnitionem veritatis; ad cognoscendum te Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. Iustificasti gratis per gratiam tuam, mundans me per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti.

Vocatio ad religionem, et sacerdotium.

Tu suscepisti me de via iniquitatis, et assumpsisti me, ut habitarem cum servis tuis in domo tua. Elegisti me in sacerdotem ad sacrificandum tibi Hostiam

laudis; corpus et sanguinem Filii tui Iesu Christi, qui dedit mihi carnem suam in cibum, et in potum calicem sanguinis sui.

Liberatio a malis, et expectatio ad poenitentiam.

Tu liberasti me, secundum multitudinem misericordiae tuae, de manibus quaerentium animam meam, de portis tribulationum, quae circumdederunt me. Non proiecisti me a facie oculorum tuorum. Non recessisti a servo tuo, nec succidisti arborem non ferentem fructum; sed sustinuisti me in multa patientia, circumdedisti me misericordia tua, et praevenisti in miserationibus tuis multis: propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam semper Nomini tuo.

§. II. *Petitio luminis.*

Sed ego, Domine, repletus misericordia tua retribui tibi mala pro bonis, sterilitatem animae meae, et in terra sanctorum iniqua gessi. Tu qui consideras vias meas, et cunctos gressus meos dinumeras,

quem nulla latet cogitatio, illumina tenebras meas, ut videam, quia ego sum miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus.

Revela ignominiam meam, et delicta mea ostende mihi, antequam manifester ante tribunal tuum, ubi illuminabis abscondita tenebrarum, et manifestabis consilia cordium. Pravum est cor hominis, et inscrutabile. Quis cognoscet illud? Tu scrutans corda, et renes, Deus.

AFFECTUS ANIMAE COMPUNCTAE AD DEUM

§. I. *Confusio.*

Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus, et cum quaesierit, quid respondebo illi? In abscondito plorabit anima mea coram Domino, qui fecit me. Plorans plorabit, et oculus meus deducet lacrymas, quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam.

§. II. *Humiliatio.*

Magna, Domine, iudicia tua, quia non

egi secundum praecepta tua, et non ambulavi sincere coram te. Et tu iustus es, Domine, in omnibus quae venerunt super me, quia veritatem fecisti; ego autem impie egi. Irritavi iram tuam, et malum coram te feci: propterea humiliatus sum, et datus in confusionem inimicis meis.

§. III. *Indignatio.*

Dereliquisti, anima mea, Deum factorem tuum, et recessisti a Deo salutari tuo. Oblita es Dei, qui creavit te, et salvavit te. Abalienata es retrorsum. Facta es abominatio Domino Deo tuo. Indignatio Domini super te; quia noluisti in viis eius ambulare, et non audisti legem eius: propterea effudit super te indignationem furoris sui.

§. IV. *Timor.*

Revelabunt coeli iniquitatem meam, et terra consurget adversum me. Ante faciem indignationis tuae, Domine, quis stabit? et quis resistet in ira furoris tui? In me transierunt irae tuae, et terrores tui con-

turbaverunt me. Timor et tremor venerunt super me. Vae mihi ! si abscondas faciem tuam a me, et consideres novissima mea.

§. V. *Desiderium.*

Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus ; ego autem hîc fame pereo. Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillae, et cineri.

Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens ? Quis mihi tribuat, ut cognoscam, et inveniam illum, et veniam usque ad solium eius ?

Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me ? quando splendebat lucerna eius super caput meum, et ad lumen illius ambulabam in tenebris : sicut fuit in diebus adolescentiae meae, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo: quando erat Omnipotens mecum, et in Omnipotente delectabar.

§. VI. *Confessio peccatorum coram Domino, et imploratio remissionis.*

Et nunc, Domine Deus omnipotens, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te. Audi, Domine, et miserere, quia Deus es misericors; et miserere mei, quia peccavi ante te. Peccavi, Domine, peccaví. Peccavi, et iniquitatem meam ego cognosco. Peccavi, et malum coram te feci. Peccavi, et non sum dignus vocari filius tuus. Charitatem primam reliqui. Tepidus factus sum. Ne evomas me ex ore tuo, et ne moveas candelabrum de loco suo. Ne proiicias me a facie tua; et ne in furore tuo arguas me; sed miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, et parce servo tuo, qui peccavit tibi.

§. VII. *Fiducia in Christo.*

Domine Iesu pastor bone, qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Propter te accedo ad thronum gratiae, ut misericordiam consequar, et gratiam in-

veniam. Erravi sicut ovis, quae periit. Quaere servum tuum, Deus miserator, Deus misericors, Deus patiens, et longanimis, et multum misericors.

§. VIII. *Dolor, et propositum.*

Os meum replebo increpationibus. Plorabo in amaritudine animae meae, quia tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Lavabo lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo. Confitebor tibi adversum me iniustitiam meam, Domine; et exitus aquarum deducent oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

Accipe cor plenum amaritudine, et pone lacrymas meas in conspectu tuo; sacrificium enim tibi, Deus meus, spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

A mandatis labiorum tuorum non recedam amplius; et in corde meo abscondam eloquia tua, ut non peccem tibi. Custodiam legem tuam, et ambulabo solicitus coram te. Custodi, Deus, hanc voluntatem, et in venerationem Nominis sancti tui mens ista permaneat.

§. IX. *Imploratio protectionis divinae.*

Tu scis, quae cogitant in me inimici mei. Ad te sunt oculi mei, Deus meus: Deus, qui das vindictas mihi: Liberator meus de inimicis meis. Paraverunt laqueum mihi, et incurvaverunt animam meam; sed tu protector meus, et susceptor meus. Non movebor amplius.

Qui pius es, miserere mei. Tu visita in virga iniquitates meas; sed ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me; nec tradas bestiis animam confitentem tibi. Tibi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

ANTE SOMNUM

§. I. *Pro nocturna quiete, et custodia.*

Domine Deus meus, Creator coeli et terrae, qui posuisti tenebras, et facta est nox; qui das dilectis tuis somnum; effunde super domum hanc benedictionem tuam, et sanctifica locum istum, ut in pace dormiam, et requiescam.

Fiat, Domine, hac nocte cor meum, et corpus meum immaculatum, ut sit templum Dei vivi, et Spiritus sanctus tuus habitet in me. Scuto circumdet me veritas tua, ut non timeam a timore nocturno, et me non superet potestas tenebrarum.

Custodiant me sancti Angeli tui, quibus mandasti de me, ut custodiant me in omnibus viis meis. Et tu, Domine, custodi me, ut pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege me. In manus tuas commendo spiritum meum; ut, sive dormiam, sive vigilem, simul tecum vivam.

§. II. *Memoria nativitatis Christi.*

In lectulo meo quaeram per noctes, quem diligit anima mea. Quaeram illum, et inveniam. Tenebo te, nec dimittam, o bone Iesu, qui media nocte processisti, tamquam sponsus de thalamo tuo, utero Virginis Matris tuae, ut lux luceret in tenebris. Illustra faciem tuam super servum tuum, ut cognoscam in tenebris mirabilia tua.

§. III. *Memoria divinae praesentiae.*

Non transgrediar in lecto meo, nec dicam: Quis me videt? delictorum meorum non memorabitur Altissimus. Cognovi enim, quoniam omnia videt oculus tuus.

Licet enim tenebrae circumdent me, et parietes cooperiant me, et nemo me circumspiciat; non abscondar tamen a facie tua, quia oculi tui multo plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi; et hominum corda intuentes in absconditas partes.

Sed anima mea desiderabit te in nocte; et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te. Memor ero tui super stratum meum, et in matutinis meditabor in te, qui es adiutor meus.

§. IV. *Expectatio futurae diei ad laudandum Deum, eique serviendum.*

Dormiam, Domine; sed cor meum vigilet ad te, et apud te, Altissime, sit cogitatio mea; ut delectetur in te anima mea,

et laudet te in nocte, et benedicat tibi, et invocet Nomen sanctum tuum, donec evigilem, et consurgam de somno meo, et aperiam oculos meos, revertens de tenebris ad lucem.

Ut annunciem mane misericordiam tuam, et nomen sanctum tuum collaudem, et in laetitia serviam tibi, et in operibus manuum tuarum exultem. Conservabo praecepta tua in corde meo; et cum dormiero, custodient me; et evigilans loquar cum eis.

§. V. *Expectatio mortis, et futurae gloriae.*

Veni, Domine Iesu. Expectabo te, ut cum repente veneris, invenias me vigilantem, et non dormientem cum servo pigro, ne peream in egestate mea, et sopore depressus dormiam somnum sempiternum.

Sed festinem cum electis tuis ingredi in illam requiem, ubi nox ultra non erit, et tu, Domine Deus meus, illuminabis me, et serviam tibi die ac nocte in templo tuo, et videbo faciem tuam, et requiescam in gloria tua, laudans te in saecula saeculorum. Amen.

ANTE SACRUM

VEL

IN AUDITIONE SACRI

§. I. *Oblatio holocausti.*

Domine Deus, omnium Creator; terribilis, et fortis; iustus, et misericors; qui sedes super excelsum thronum, et glorificas maiestate domum sanctam tuam; suscipe de manibus meis in oblationem suavissimi odoris corpus et sanguinem pretiosi Agni, et immaculati Unigeniti Filii tui Iesu Christi, quem hodie offero tibi omnipotenti Deo excelso in loco isto, quem elegisti in domum sacrificii.

Deduc me in montem sanctum tuum, et laetifica me in domo orationis meae, et placeat tibi hoc sacrificium dilecti Filii tui, per quem est tibi gloria in Ecclesia in omnes generationes. Haec est illa oblatio munda, quae offertur Nomini sancto tuo, quod est gloriosum, et terribile.

§. II. *Praesentia Angelorum, et fidelium offerentium holocaustum.*

Adorent te, Deus omnipotens, et laudent Angeli tui, qui stant in circuitu throni ante sublime altare tuum, et coram Agno, qui occisus est. Veniant omnes gentes, et adorent coram te, Domine; quia tu es Deus solus in universa terra.

Offerat universa multitudo hoc holocaustum et sacrificium laudis mente devota; quemadmodum Unigenitus ipse Filius tuus obtulit semetipsum immaculatum tibi, Patri suo, Deo viventi, et quotidie se offert super placabile altare tuum in holocaustum sempiternum.

§. III. *Invocatio Virginis, et Sanctorum.*

Adsit Virgo, et Mater Unigeniti Filii tui, Maria, et offerat tibi, Deus omnipotens, in hac hora Iesum, benedictum fructum ventris sui, quem tulit olim in Ierusalem, ut sisteret eum coram te; et dum emitteret spiritum, stabat iuxta cru-

cem eius, et nunc assistit Regina a dextris eius.

Adsint omnes Sancti, qui adorant te sedentem super thronum, et requiem non habent die ac nocte, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est, ut dem tibi cum illis gloriam et honorem viventi in saecula saeculorum. Amen.

§. IV. *Holocaustum Deo acceptabile.*

Aperiantur coeli, et Angeli tui ascendant, et descendant in hac hora super Filium hominis. Veniat Ignis tuus sanctus de coelo, et descendat super hoc altare, quemadmodum aperti sunt coeli, et descendit de coelo Spiritus, sicut columba, et mansit super eum, et vox tua intonuit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ut ipse quoque repletus Spiritu sancto unum sim tecum, qui unus es Deus cum eodem Filio tuo, et Spiritu sancto, in saecula saeculorum. Amen.

§. V. *Oblatio spiritualis animae.*

Per ipsum offerimus etiam, Domine sancte Pater, nos ipsos spirituales hostias, qui mortuus est, ut nos offerret tibi Deo viventi, ut essemus in laudem et gloriam tuam.

Utinam exhibeamus nosmetipsos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram te, Hostiam viventem, sanctam, beneplacentem; ut oblatio nostra sit odor suavissimus in conspectu tuo, et fiat tibi acceptabilis per eumdem Filium tuum, Iesum Christum.

§. VI. *Oblatio sacrificii eucharistici.*

Memores etiam, Domine, miserationum tuarum, et multitudinis bonorum, quae largitus es nobis, gratias agimus tibi, et colimus te, omnipotens aeterne Deus, in hostiis et muneribus.

Tu enim dedisti nobis Unigenitum Filium tuum, qui dilexit, et lavit nos in sanguine suo; Mediatorem novi Testamenti; Pontificem futurorum bonorum;

Sanctorum Ministrum, et tabernaculi veri.

Qui cum sit Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit: Accipite, et comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.

Similiter, accepto calice, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine: Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.

Gratias igitur agentes super hoc inenarrabili dono, et ceteris donis tuis, offerimus tibi hoc sacrificium recordationis, eumdem Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, ut sit memoriale in aeternum super altare tuum in conspectu divinae maiestatis tuae.

§. VII. *Oblatio sacrificii propitiatorii.*

Accedo etiam, Domine, ego indignus servus tuus, quem constituisti sacerdotem ad offerendum munera et hostias pro peccatis meis, et pro delictis populi, ad

altare tuum cum vero corde, et plenitudine fidei, ut offeram placabilem Hostiam divinae Maiestati tuae in hac domo propitiationis, eumdem Filium tuum Unigenitum Iesum Christum:

Qui cum maneat in aeternum, sempiternum habet Sacerdotium; unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad te Deum vivum.

Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus; qui non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.

Hic est sanguis Testamenti, in quo sanctificati sumus, quem voluit offerri usque ad consummationem saeculi ad placandum te, Deum Patrem suum, pro peccatis et delictis populi. Accedimus igitur ad novi Testamenti mediatorem Iesum, et sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel.

§. VIII. *Fructus passionis Christi.*

Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui, qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Per quem placuit tibi reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.

Propitiare ergo, Domine, populo tuo, qui peccavit tibi: propitiare omnibus iniquitatibus eorum, qui praevaricati sunt in terra, et da misericordiam coram eis.

Non enim corruptibilibus auro vel argento redempti sumus, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati, in quo habemus redemptionem, et remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius.

Pone lacrymas nostras in conspectu tuo, Domine, et sit tibi acceptabile sacrificium cordis nostri, quod offerimus contritum et humiliatum: per eumdem Christum Unigenitum Filium tuum.

§. IX. *Oblatio sacrificii impetratorii.*

Respice, omnipotens Deus, de sanctuario tuo, et de excelso coelorum habitaculo: respice ad orationem servi tui, et ad preces eius. Audi orationem, quam servus tuus orat coram te, et suscipe hoc sacrificium de manibus meis pro universo populo tuo in Ecclesia, quam acquisivit Filius tuus sanguine suo.

Per ipsum ad te accedimus, qui in diebus carnis suae preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia; qui cum sit ad dexteram tuam, etiam nunc interpellat pro nobis.

Rogat te populus tuus Dominum excelsum in prece, usque dum perfectus sit honor tuus in consummatione sanctae oblationis, quae est in manibus meis.

§. X. *Ut per Angelum sanctum offerantur preces in altari.*

Domine Deus omnium, qui magna fecisti in omni terra, qui auxisti dies no-

stros a ventre matris nostrae, memor sis sacrificii nostri, et fac in nobis secundum omnem bonitatem, et secundum omnem misericordiam tuam.

Angelus etiam sanctus tuus, qui stat ante altare tuum, offerat preces nostras super hoc altare, et ascendat fumus incensorum de orationibus nostris coram te.

§. XI. *Pro iis, quorum fit mentio in Sacrificio.*

Propter Christum, qui dilexit Ecclesiam sponsam suam, et se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, protege Deus meus universam Ecclesiam tuam, in qua habitat genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, fundatam supra firmam petram, quae est Christus, Caput, et Salvator corporis eius.

Aliae sunt oves, Domine, quae non sunt ex hoc ovili. Convertantur ad te, Pastorem et Episcopum animarum nostrarum; et fiat unum ovile, et unus Pastor.

Oramus etiam pro regibus, et omnibus

qui in sublimitate positi sunt, et gladium portant; sunt enim ministri tui.

Rogamus te, Domine, pro iis, qui nobis benefaciunt, et pro iis, qui tribulato sunt corde. Pro infirmis, ut sanes infirmitates eorum; pro captivis, ut solvas vincula eorum; pro errantibus ovibus, ut eas reducas in viam salutis; pro certantibus in agone, ut in pace consumment cursum suum.

Rogamus denique pro iis, qui cum pietate dormitionem acceperunt; pro quibus offerimus hoc sacrificium redemptionis, et victimam salutis; ut ingrediantur civitatem illam, in quam non intrat aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.

§. XII. *Ad obtinendam divinam protectionem et custodiam.*

Aperti sint oculi tui super hanc civitatem, et muro tuo inexpugnabili illam circumcinge, et da pacem in diebus nostris; quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

Propitiare, Domine, terrae nostrae, et

cohibe omnes plagas a gente nostra. Propitiare populo tuo, et haereditati tuae, quae stat coram altari, et offert in hoc templo sancto tuo hoc sacrificium, oblationem perpetuam in generationes nostras.

Custodi, Domine, partem tuam, et sanctifica, qui solus es bonus, solus praestans, solus iustus, omnipotens, et aeternus; per dilectum Filium tuum Iesum Christum.

§. XIII. *Approximatio sacerdotis ad offerendum sacrificium.*

Appropinquo igitur, Domine, ad altare tuum, ut ministrem in sanctuario tuo. Fac me sacerdotem sine macula, habentem voluntatem in lege tua.

Indue me veste sancta in gloriam et decorem: vestimentis salutis, et indumento iustitiae circumda me.

Sanctifica offerentis manus, quas consecrasti in die unctionis suae, ne polluam sanctuarium tuum; sed lavem eas pure in ascensu altaris sancti cum oblatione excelsi Regis.

Sanctifica cor meum, ut sit templum Dei vivi, et reple me coelesti benedictione, et gratia in Filio tuo Iesu Christo, ut sim sanctus corpore et spiritu per oblationem corporis sui; per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

ANTE

CONFESSIONEM SACRAMENTALEM

§. I. *Laus divinae misericordiae.*

Iniquitates meae in conspectu tuo, Domine: non sunt occultatae ab oculis tuis. Investigabis abscondita mea, et celari non potero. Non abscondar in die furoris tui. Non abscondar a facie Sedentis super thronum, et ab ira Agni.

Tu autem Deus noster suavis, et verus es, patiens, et in misericordia disponens omnia: etsi enim peccavi, tuus sum. Non secundum vias meas malas, nec secundum scelera mea pessima; sed propter nomen tuum placatus mihi eris, et exaltaberis parcens mihi: parcis enim omnibus, quia tui sunt, Domine, qui amas animas.

Memento mei Deus, et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum. Deprecabor vultum tuum, ut miserearis mihi; ut suscipias faciem meam, et avertas iram indignationis tuae.

§. II. *Dolor, et propositum.*

Humiliata est anima mea in conspectu tuo: emollitum est cor meum: conturbata sunt viscera mea. Peccavi, Domine, peccavi: inique egi: iniquitatem feci: declinavi a mandatis tuis: non custodivi legem tuam: ad amaritudinem concitavi te, Dominum Deum meum. Scio iniquitatem meam, quia praevaricatus sum in te.

Super hoc plorabo in fletu; plorabo in amaritudine animae meae. Ingemiscam in contritione peccatorum meorum. Loquar in tribulatione spiritus mei: quam amarum est dereliquisse Dominum Deum meum! Recordor viarum mearum, et scelerum meorum, quibus pollutus sum, et displicet mihi in omnibus malitiis meis.

A mandatis tuis non recedam amplius. Custodiam legem tuam, et ambulabo sollicitus coram te, et poenitentiam agam ab omnibus peccatis meis.

§. III. *Humiliatio coram Sacerdote, et spes remissionis.*

Et nunc, Domine, accedam ad thronum gratiae, ut misericordiam consequar. Ascendam ad lavacrum, ut lavem vestimenta mea, et munder ab iniquitatibus meis.

Non abscondam peccatum meum, et non celabo in sinu meo iniquitatem meam. Vadam, et ostendam me sacerdoti, et stabo coram ipso in delicto meo, et in spiritu constitutus humiliato portabo ad pedes eius iniquitatem meam.

Aperiam os meum in confusione mea. Revelabo abscondita mea. Confitebor peccata mea, et expectabo humilis consolationem tuam: et tu, Domine, auditui meo dabis gaudium, et laetitiam, et exultabunt ossa humiliata.

Lavabor in sanguine tuo, et recipiet sanitatem anima mea. Auferes iniquitatem meam, et peccata mea mundabuntur coram te. Solvam vincula colli mei: et sicut in sereno glacies, solventur peccata mea. Indues me vestimentis sanctis, et

dabis coronam decoris capiti meo, et fiet anima mea decora nimis vehementer.

§. IV. *Ad obtinendam veniam, et renovationem spiritus.*

Suscipe igitur, Domine, peccatorem contritum, et humiliatum. Suscipe ovem, quae periit, et redit ad pastorem suum. Suscipe indignum filium, qui peccavit in coelum, et coram te, et revertitur ad patrem suum.

Da mihi osculum pacis: indue me stola prima, et redde mihi laetitiam salutaris tui. Inspira in faciem meam spiraculum vitae, et in spiritum vivificantem reforma me. Sana vulnera mea, ungens oleo laetitiae. Erige iacentem super faciem terrae. Suscita humiliatum usque ad inferos, ut respiret in luce miserationum tuarum.

Instaura templum tuum. Renova domum tuam. Purifica sanctuarium tuum. Adorna thalamum tuum. Reforma imaginem tuam, et redeat super illam splendor vultus tui. Descendat super illam Spiritus sanctus, eamque sanctificet, ut iustificatus decedens, sim cum vivis, et

dantibus confessionem tibi, Domine Deus meus; et laudem te, et glorier in miserationibus tuis nunc, et in saecula saeculorum. Amen.

POST

CONFESSIONEM SACRAMENTALEM

§. I. *Beneficia Dei in sacramento poenitentiae.*

Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, Nomini sancto eius. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas; qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in misericordia, et miserationibus; qui replet in bonis desiderium tuum. Renovabitur ut aquilae iuventus tua.

Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem coeli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Vere faciens misericordias Dominus.

§. II. *Laus Dei, et gratiarum actio.*

Dirupisti, Domine, vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis. Pepercisti animae meae, et in misericordia sempiterna misertus es mei. Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem? Deponis iniquitates nostras, et proiicis in profundum maris peccata nostra.

Avertisti a me iram indignationis tuae. Remisisti iniquitates meas. Reconciliasti me tibi per sanguinem Filii tui. Respexit me oculus tuus, et erexisti me ab humilitate mea. In misericordia reduxisti me, et conversus consolatus es me, quoniam Deus miserationum, et clemens, es tu. Magna est, Domine, miseratio tua, et multae misericordiae tuae.

Ego autem in voce laudis immolabo tibi. Exaltabo te, et confitebor Nomini

tuo, et laetabor in misericordia tua. Benedicat tibi anima mea, et magnificet te in laude, et confiteatur; quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se.

§. III. *Renovatio propositi.*

Ecce sanus factus sum. Nolo amplius peccare. Dealbavi stolam meam in sanguine Agni; quomodo coinquinabo illam? Misericordiam consecutus, non obliviscar Salvatoris mei, et miserationum Domini recordabor.

Iustificationem, quam coepi tenere, non deseram. Non deficiam, nec recedam ab innocentia mea. Ambulabo in novitate vitae, et renovabor de die in diem. Non recedet a te cor meum, Domine. Non discedam a te, quia vivificasti me.

§. IV. *Imploratio protectionis divinae.*

Tu autem, Domine, qui dedisti mihi poenitenti viam iustitiae, confirma, et sustine deficientem. Fiat manus tua super

me; et ne recedas a me, nec ponas animam meam desertam.

Da timorem tuum in corde meo, ut non recedam a via tua, neque irritum faciam pactum meum; sed serviam tibi in sanctitate et iustitia coram te omnibus diebus vitae meae.

Custodi animam meam, ut sit vas in sanctificationem et honorem ad gloriam Nominis sancti tui, ut in aeternum glorificeris cum Sanctis tuis, qui te laudabunt in saecula saeculorum. Amen.

ANTE

COMMUNIONEM SACRAMENTALEM

§. I. *Admiratio animae suscipientis Christum.*

Accedo, Domine, coram te. Ingredior in tabernaculum tuum. Appropinquo ad altare tuum: ad altare holocausti: ad mensam plenam pinguedine, atque dulcedine: haec est mensa purissima atque mundissima coram Domino.

Oculus non videt absque te, quae praeparasti expectantibus te. Ponis sanctum panem super mensam tuam in conspectu meo, in monumentum sanctae oblationis, ut illum comedam in loco sancto.

Et unde hoc mihi, ut pares iuge convivium, et ponas me servum tuum inter convivas mensae tuae? Quis ego sum homo vilis, qui non sum dignus, ut intres sub tectum meum? Quis ego sum homo peccator, ut tangam sanctum tuum, et comedam hostiam pacificam, quae immolata est Domino Deo meo?

§. II. *Gaudium animae suscipientis Christum.*

Exultabo, et benedicam te, Domine Deus meus, in hac die festivitatis tuae; in hac die solemni epularum, atque laetitiae. In te gloriabor, et confitebor tibi in canticis labiorum meorum. Laetetur anima mea in ingressu tuo: laetetur in occursum adventus tui.

Stillabit dulcedinem caro tua; cibus ad vescendum suavis; mitigans dolorem; pigmentum suavitatis, et unctio sanitatis; manna absconditum; favus dulcissimus gutturi meo; ros refrigerans ardorem. In te pax et delectatio cordis, et memoriale tuum in desiderio animae. Habitabis in me, et quasi in thalamo tuo moraberis. Abundantia perfruar, et benedictionibus tuis plenus ero.

§. III. *Excitatio animae ad suscipiendum Christum.*

Laetare, anima mea. Properat tibi in occursum Deus tuus: descendit Dominus

super te in igne, in spiritu ardoris sui. Egredere in occursum Dei tui. Propera in adventum Salvatoris tui.

Dilata locum tentorii tui. Tabernaculum tuum extende. Venit Dominus Deus tuus, Redemptor tuus, Salvator tuus, Totus desiderabilis, Deus fortis, sanctus Israel, Deus pacis.

§. IV. *Desiderium animae suscipientis Christum.*

Ego dilecto meo, et ad me conversio illius. Veni, dilecte mi, et noli tardare; veni desiderium collium aeternorum; desideratus cunctis gentibus. Veni, dilecte mi, quia amore langueo. Veni in hortum tuum, et fluant aromata illius. Veni ad docendum me viam prudentiae; ad salvandum me in manu forti, et brachio extento.

Occurre sitienti animae meae. Aperi mihi thesaurum tuum, fontem aquae vivae. Aperi mihi thesaurum absconditum, thesaurum desiderabilem, thesaurum non deficientem. Refice in potentia virtutis tuae esurientem; et confortetur cor meum in fortitudine cibi istius.

§. V. *Fiducia animae suscipientis Christum.*

In te salvabor, scutum auxilii mei, et gladius gloriae meae. Manus tuae pugnabunt pro me, adiutor meus contra adversarios meos. Contere, et destrue inimicos meos illustratione adventus tui.

Sperabo in te, et in oblectatione veniet mihi misericordia tua. Diligam te, et illuminabitur cor meum. Venies ad me in fortitudine tua. Levabis me in sinu tuo, et portabis me in brachiis tuis.

Ne timeas, anima mea, quia venit Dominus confortans te. Auxiliabitur tibi. Suscipiet te dextera eius. Et confundentur, qui pugnant adversum te. Recede procul a pavore, quia appropinquat tibi Deus tuus.

§. VI. *Accessus animae ad suscipiendum Christum.*

Salutare tuum expectavi, Domine. Praestolata est te anima mea: desideravit te. Et nunc, Domine, imple omne desiderium

meum secundum divitias tuas; et non confundas me ab expectatione mea.

Ecce stas ad ostium, et pulsas. Prope es tu, Domine. Audivi vocem tuam. Aperio tibi ianuam cordis mei, ut intres in me, et habites in me.

Sanctifica animam desiderantem te, animam quaerentem te, animam properantem ad te. Applica mihi cor tuum, ut appropinquem tibi. Conserva me sine peccato, et constitue me immaculatum ante conspectum tuum in exultatione adventus tui.

Veni, Domine Iesu, et veniant super me universae benedictiones tuae. Imple animam meam maiestate tua, et receptaculum cordis mei inenarrabilibus thesauris tuis. Maneam in te, et tu in me, et manducans te, vivam propter te, et in aeternum; ut sim cum electis tuis, qui ad coenam nuptiarum Agni, ad coenam magnam Dei vocati sunt, et sedent tecum in throno tuo, sicut tu sedes cum Patre tuo in throno eius, regnans in saecula saeculorum. Amen.

POST
COMMUNIONEM SACRAMENTALEM
VEL POST SACRUM

§. I. *Humiliatio, et confusio.*

Recede a me, Domine, quia homo peccator sum. Quid enim est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Et unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me? Unde hoc mihi, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, et noscere me dignareris servum tuum, qui non sum similis unius servorum tuorum? Coelum sedes tua, et terra scabellum pedum tuorum. Et quis locus iste quietis tuae, o bone Iesu?

Posui idola in domo tua. Versa est in ignominiam: sed tu, Domine, in spiritu ardoris tui abluis sordes meas. Ponis visitationem tuam pacem. Imples domum istam gloria, et illam glorificas maiestate tua.

§. II. *Admiratio.*

Circumspice Ierusalem, et vide iucunditatem a Deo tibi venientem. Venit tibi gaudium a Sancto super misericordia, quae venit tibi ab aeterno salutari tuo.

Mirabilia facta sunt in te, et ab Altissimo est emissa in te visitatio. Recordatus est tui, et visitavit te. Maiestas Domini ingressa est in te, et repleta es splendore gloriae Dei tui.

§. III. *Memoria beneficiorum Dei in Eucharistia.*

Abundavi deliciis in bonitate tua magna, Domine. Occupasti deliciis cor meum. Praesentia tua delectatus sum. Replesti pace animam meam: repletus sum ab ubere consolationis. Deliciis affluo ab omnimoda bonitate tua. Concepi ardorem a facie tua, et in spiritu ardoris tui inflammatus sum.

Inebriasti animam lassam, et animam esurientem saturasti. Parasti mihi panem in satietatem, sacrificium tuum, quod de-

disti mihi, ut ederem. Comedi adipem in saturitatem: calice salutari inebriatus sum, et bibi sanguinem de victima, quam immolavi Domino Deo meo. Repletus sum fortitudine spiritus Domini.

§. IV. *Gaudium spirituale.*

Gaudens igitur gaudebo, et exultabit anima mea in Deo meo. Exultabit anima mea in Domino, et delectabitur super salutari suo. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Exultabo in Domino, et in sancto Israel laetabor. Vox tua, Domine, vox laetitiae, vox dicentium: confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus.

Exulta, et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Lauda Sion, et laetare, et exulta in omni corde filia Ierusalem. Exulta, et laetare, quoniam magnificavit Dominus, ut faceret. Filia Sion, exulta, et laetare in Domino Deo tuo.

§. V. *Gratiarum actio; et laus.*

Sed quid dignum poterit esse beneficiis tuis, o bone Iesu? Quid ad haec poterimus dignum dare, aut tibi dignas oblationes offerre? Sacrificium laudis immolabo tibi. Reddam tibi, Altissime, vota mea. Holocausta medullata offeram tibi, vitulos labiorum meorum; et miserationum tuarum, Domine, recordabor.

Laudabit te anima mea, et omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? Confitebor tibi, et Nomini tuo cantabo. Cantabo, et psallam tibi. Narrabo omnia mirabilia tua. Narrabo gloriam tuam, et benedicam te in laetitia, in actione gratiarum, et canticis.

§. VI. *Excitatio animae, et creaturarum, ad laudandum Deum.*

Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, Nomini sancto eius. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones eius.

Venite, et narrabo, omnes qui timetis

Deum, quanta fecit animae meae. Laudate coeli, et exulta terra, quia consolatus est Dominus servum suum, et misertus est pauperis sui. Benedicite Dominum, et date Nomini eius magnificentiam.

Laudent te, Domine, omnes Angeli, et laudem dicant tibi omnes Sancti, et benedicat te omnis terra, quia visitasti me in salutari tuo, et parasti in dulcedine tua pauperi Deus, sicut pastor pascit gregem suum.

§. VII. *Ad impetrandos fructus Eucharistiae, et praecipue fidem, spem, et charitatem.*

Inveni quem diligit anima mea. Tenui te, nec dimittam, o bone Iesu, nisi benedixeris mihi. O bone Iesu, dives in omnes, qui invocant te, reple me coelesti benedictione, et gratiae tuae divitias in me abundanter effunde.

Ostende in me abundantes divitias gratiae tuae in bonitate tua super me; ut repletus fructu iustitiae reddam tibi, quae de plenitudine tua accepi, et benedi-

cam te, et admirer in plenitudine sancta, et glorificem te in hac die visitationis tuae.

Reple me omni gaudio et pace in credendo, ut abundem in spe, et virtute Spiritus sancti, et charitas magis ac magis abundet in corde meo, ut implear, Domine, in omnem plenitudinem tuam.

§. VIII. *Applicatio sensuum.*

Illustra faciem tuam super servum tuum, et illumina oculos cordis mei ad cognoscendum te Deus meus, quia facies tua decora, speciosus forma prae filiis hominum.

Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et diffusa est gratia in labiis tuis. Verba vitae aeternae habes, et sermo tuus veritas est.

Trahe me post te in odorem unguentorum tuorum; et suscipe cor meum in oblationem suavissimi odoris, et impinguet altare tuum, et sit odor suavissimus in conspectu tuo.

Gustavi, et vidi, quoniam suavis es, Domine. Completa sunt viscera mea, et

facta est caro tua in ore meo, sicut mel dulce.

Intremuit anima mea ad tactum tuum. Vulnerasti cor meum. Mane in me, o bone Iesu, et ego in te, ut vivam propter te. Vivam ego, iam non ego, vivas vero tu in me, Christe.

§. IX. *Ad obtinendam renovationem et fortitudinem Spiritus.*

Effundo animam meam in conspectu tuo. Recordare mei, quoniam visitasti me. Respice in me, et miserere mei. Sana me, quoniam infirmus sum, et tu venisti, ut curares me.

Ostende in me fortitudinem tuam, manumque fortissimam; et tuere ab his, qui me persequuntur.

Tu fortitudo mea: tu robur meum: tu refugium meum. Fortitudo, et potentia in manu tua: fortitudo pauperis; fortitudo egeno in tribulatione sua. Praebe fortitudinem servo tuo, et sit Deo secum morante confortatus.

Corrobora me per Spiritum tuum in interiorem hominem, et renova secundum

imaginem eius, qui creavit illum. Tribue spiritum novum in visceribus meis. Sanctifica cor, et corpus meum, in quo posuisti tabernaculum tuum, ut sit templum Dei vivi, et Spiritus sanctus tuus habitet in me.

§. X. *Ad obtinendam custodiam cordis.*

Ponam te, ut signaculum super cor meum, ne veniant alieni super sanctificationem domus tuae; et ut sit anima mea locus sanctificationis tuae, et templum habitationis tuae, in quo glorificeris cum Patre tuo, et Spiritu sancto, in saecula saeculorum. Amen.

ALIA

ANTE

COMMUNIONEM SACRAMENTALEM

Tempus tuum, Domine, prope est ut facias pascha cum servo tuo. Angelorum esca nutris populum tuum, et paratum Panem de coelo praestas, ac sine labore omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Ecce in Altari tuo Convivium pinguium, Convivium vindemiae, Manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit; Mel bonum, et Favum dulcissimum gutturi meo. Vere, o bone Iesu, cum dilexisses tuos, qui erant in mundo, in finem dilexisti eos. Tu es Panis vitae; patres nostri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Tu es panis vivus, qui de coelo descendisti. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem tu dedisti, Caro tua est pro mundi vita. Caro tua vere est cibus, et Sanguis tuus vere est potus: qui manducat tuam Car-

nem, et bibit tuum Sanguinem, in te manet, et tu in illo. Sicut misit te vivens Pater, et tu vivis propter Patrem; ita et qui manducat te vivet propter te.

Sed quis ego sum Domine, ut intrem in Convivium tuum? Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Ego pulvis, et cinis: putredo, et vermis. Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea. Sed licet tam miser sim, et contemptibilis valde, tu clamare non desinis, et invitare ad coenam magnam pauperes, debiles, et claudos. O benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei! Sitivit igitur anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Quis mihi det, ut inveniam te foris, et deosculer te? Rorate coeli desuper, et nubes pluant Iustum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem. Inclina, Domine, coelos tuos, et descende: excita poten-

tiam tuam, et veni, ut salvum me facias. Veni, Domine, veni, et noli tardare. Ecce Sponsus venit, exite obviam ei. Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus. Aperti sint oculi mei, et cognoscam te, Iesu Praeceptor, in fractione panis. Ego Dilecto meo, et Dilectus meus in sinu meo. Hodie igitur fiat salus et pax huic domui, quam visitat Dominus.

GRATIARUM ACTIO

Recede a me, Domine, quia homo peccator sum; et unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me? Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Domine Dominus noster, quam admirabile est Nomen tuum in universa terra! Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna Filio David. Tu es Christus Filius Dei vivi. O Rex Israel Salvator.

Benedic, anima mea, Domino; et omnia, quae intra me sunt, Nomini sancto eius, et omnia ossa mea dicant: Domine, quis similis tibi? Benedictus Dominus Deus

Israel. Magnificat anima mea Dominum, etc. Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis: excelsus, et immensus. Exultavit cor meum in Domino: et exultavit anima mea in Deo meo. Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus meus, et Deus meus. Ecce Deus Salvator meus: fiducialiter agam, et non timebo.

Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Non dimittam te, Domine, donec benedixeris mihi. O bone Iesu, dives in omnes, qui invocant te: qui venisti non vocare iustos, sed peccatores: qui pertransibas benefaciendo, et sanando omnes; quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es? Domine, si vis, potes me mundare. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, Deus.

Ecce quem amas infirmatur: miserere mei, quoniam infirmus sum. Tu venisti in me ut curares me: sit igitur dimissus ab infirmitate sua servus tuus, qui tenetur magnis febribus. Iesu, fili David, miserere mei. Dic animae meae: Quid tibi vis

faciam? Domine, ut videam: ut agnoscam te Deum meum, qui es intra me, speciosus forma prae filiis hominum.

Stabo hic secus pedes tuos, Domine, audiens verbum tuum, et illud conferens in corde meo. Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes. Sermo tuus veritas est. Domine, quid me vis facere? Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: sonet igitur vox tua in auribus meis. Vocabis me, et ego respondebo tibi.

Trahe me post te in odorem unguentorum tuorum. Oleum effusum Nomen tuum. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis. Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris, et sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. O quam suavis es, Domine, manducantibus te. Pinguis est panis tuus, et praebebit delicias regibus. Manducavi panem meum cum melle meo: et bibi vinum cum lacte meo: Vinum, Domine Iesu, Sanguinem tuum, quem das iis, qui amaro sunt corde, ut bibant, et obliviscantur egestatis suae: et doloris sui non recordentur.

Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salvus ero: Stabo ad pedes Domini, et osculabor pedes eius. Dic animae meae: Infer digitum tuum huc, et vide: mitte manum tuam in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis.

Mane in me, Domine Iesu, et ego in te, ut feram fructum multum, fructus nempe spiritus. Charitatem, ut diligam te, qui prior dilexisti me, diffusam in corde meo etiam propter eos, qui haereditatem capiunt salutis; ut defectio teneat me pro peccatoribus, derelinquentibus legem tuam. Gaudium, ut exultem in te Deo meo vivo, et vero. Pacem, quam das in medio cordis mei, quo modo stetisti in medio discipulorum, dicens: Pax vobis: Ego sum: nolite timere. Patientiam in adversis; expectans te, et viriliter agens; ut confortetur cor meum, sustinens te Dominum. Benignitatem, induens viscera misericordiae erga fratres meos. Bonitatem, sicuti bonus es tu, qui solem tuum oriri facis super bonos et malos: et pluis super iustos et iniustos. Longanimitatem, de mane usque ad vesperam diligens te, omnibus diebus vitae

meae in longitudinem dierum; etiam mortificatus propter te tota die, et factus sicut ovis occisionis. Mansuetudinem, discens a te, quia mitis es, et humilis corde. Fidem, quae per dilectionem operetur. Modestiam, quae nota sit omnibus hominibus; tu enim, Domine, non tantum prope, sed intra me es. Continentiam, qua crucifigam carnem meam cum concupiscentiis suis. Castitatem, ut exhibeam tibi cor mundum, qui pasceris inter lilia, et lilia colligis; et sic inhabites in me, ut vivam ego iam non ego, vivas tu vero in me, Domine Iesu, qui cum Patre, et Spiritu sancto, vivis, et regnas Deus per saecula saeculorum. Amen.

ACTUS FIDEI

Vocatio ad Fidem: firmitas in Fide, et postulatio Fidei.

Benedico te, Domine, quia vocasti me de tenebris in admirabile lumen tuum; ad agnitionem veritatis; ad cognoscendum te solúm verum Deum, et quem misisti Iesum Christum; haec est enim vita aeterna.

Signasti me spiritu promissionis sancto, et dedisti mihi pignus haereditatis; spiritum adoptionis filiorum, cum renatus sum ex aqua, et Spiritu sancto.

Revelasti nobis per Spiritum sanctum, quod aliis generationibus non est agnitum, sicut sanctis Apostolis tuis, et Prophetis. Non enim fecisti taliter omni nationi, et iudicia tua non manifestasti eis.

Tu sapiens et verax es; ideo adhaesi testimoniis tuis, quae credibilia facta sunt nimis. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia tua, et da mihi spiritum sapientiae, et revelationis in agnitione Iesu Christi filii tui. Confirma me in ver-

bis tuis, ut sim stabilis in fide, tenens confessionem Iesu Christi.

Domine, adauge mihi fidem, fidem illam, quae per charitatem operatur; ut cernens te nunc in terris per speciem et in aenigmate, videam te facie ad faciem in coelis, et exultans gaudeam in revelatione gloriae tuae, laudans te, et glorificans in saecula saeculorum. Amen.

ACTUS SPEI

Spes aeternae haereditatis in Christo: fiducia in ipso, et observantia legis ob aeternam retributionem.

Benedictus es, Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi; Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui secundum tuam misericordiam regenerasti nos in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcessibilem, conservatam in coelis.

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Ibi similes tibi erimus, Domine, quia vide-

bimus te, sicuti es. Satiabor itaque, cum apparuerit gloria tua.

Salvatorem te expecto Dominum meum Iesum Christum, qui reformabis corpus humilitatis meae, configuratum corpori claritatis tuae. Habeo hanc spem in te, Domine, qui es spes mea; qui fidelis es in omnibus verbis tuis, in quibus supersperavi.

Et quamvis arcta sit via, et angusta, quae ducit ad vitam; misericordia tamen tua praeveniet me, et subsequetur me omnibus diebus vitae meae, et in te sperans non infirmabor.

Peccavi; sed apud te Patrem advocatum habeo Iesum Christum iustum, qui est propitiatio pro peccatis meis; qui dilexit, et lavit me in sanguine suo; semper vivens ad iuterpellandum pro me.

Inclinavi igitur cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternnm propter retributionem; propter coronam iustitiae, quam reddes mihi, Domine, in illa die iustus iudex. Reposita est haec spes mea in sinu meo.

ACTUS CHARITATIS

Dilectio Dei super omnia :
Unio animae cum Deo per charitatem:
et postulatio charitatis.

Diligam te, Domine, fortitudo mea : Dominus firmamentum meum : refugium meum: susceptor meus, et liberator meus. Diligam te ex toto corde meo; ex tota anima mea; ex tota mente mea; ex omnibus viribus meis, quia tu solus bonus es, Domine.

Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum? Quis poterit me separare a charitate Christi? Tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque Angeli, neque Principatus, neque Potestates, neque creatura alia poterit me separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu.

Diligam te, Domine, qui prior dilexi-

sti me, cum adhuc essem inimicus, et Filium tuum pro me tradidisti.

Diffundatur charitas tua in corde meo per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ut radicatus in charitate, et fundatus, maneam in te, et tu in me, et unum sim tecum, qui unum es cum eodem Filio tuo, et Spiritu sancto, in saecula saeculorum. Amen.

IN ORATIONEM DOMINICAM

§. I. *Pater noster, qui es in coelis.*

Domine Deus noster, qui in excelsis habitas, et humilia respicis, et alta a longe cognoscis; cui est cura de omnibus; qui de coelo prospicis super filios hominum; qualem charitatem dedisti nobis, ut filii Dei nominemur, et simus? Vere tu Deus noster, et Pater noster; Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.

§. II. *Sanctificetur Nomen tuum.*

Fac, ut adoremus te Deum verum in spiritu et veritate; ut confiteamur Nomini tuo magno, quod terribile et sanctum est; ut manifestemus illud hominibus, et cognoscant te omnes gentes, et veniant, et adorent coram te, Domine, et glorificent te in operibus tuis, et Nomen sanctum tuum collaudent, quod est laudabile, et superexaltatum in saecula.

§. III. *Adveniat regnum tuum.*

Gratias ago tibi, Domine, qui eras, et qui es, et qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. Adveniat, Domine, regnum tuum, quod non est de hoc mundo, sed est regnum omnium saeculorum. Tu eripuisti nos de potestate tenebrarum, et transtulisti in regnum Filii dilectionis tuae. Adveniat regnum tuum, quod est iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto. Da, Pater, ut sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, cuius regni non erit finis.

§. IV. *Fiat voluntas tua.*

Domine Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati. Iustus es, et rectum iudicium tuum, et omnia quaecumque facis, in vero iudicio facis. In manibus igitur tuis sortes meae, quia

Deus meus es tu. Doce me facere voluntatem tuam, quemadmodum faciunt Angeli tui in coelis. Fac in me, Domine, quod placet coram te per dilectum Filium tuum, qui descendit de coelis, ut faceret voluntatem tuam.

§. V. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Tu, Domine, qui das escam omni carni, tribue victui meo necessaria.

Ciba me etiam pane vitae, et intellectus, et pota me aqua sapientiae salutaris. Ciba me ex adipe frumenti, et da mihi Panem de coelo verum: Carnem tuam, quae vere est cibus, et Sanguinem tuum, qui vere est potus, ut ambulans in fortitudine cibi istius usque ad montem sanctum tuum, edam, et bibam super mensam tuam in regno tuo.

§. VI. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos etc.*

Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt. Delicta iuventutis meae, et ignorantias meas ne memineris; sed propter Nomen tuum propitiare peccato meo; multum est enim. Et quoniam commendasti charitatem tuam in nobis, cum adhuc peccatores essemus, reconciliati per mortem Filii tui; et nos dimittimus fratribus nostris peccata eorum, scientes, quod si dimiserimus fratribus nostris peccata eorum, dimittes nobis, Pater coelestis, peccata nostra.

§. VII. *Et ne nos inducas in tentationem.*

In te, Domine, eripiar a tentatione, et in Nomine tuo transgrediar murum. Deus Dominus, fortitudo mea, sis mihi a dextris, ne commovear. Paraverunt inimici mei laqueum mihi; sed tu adiutor fortis. In te sperabo: non timebo, quid faciat mihi caro. Ne tradas me, Domine, a de-

siderio meo peccatori. Cogitaverunt contra me: ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

§. VIII. *Sed libera nos a malo. Amen.*

Circumdederunt me mala, quorum non est numerus. Tu refugium meum, Domine, et virtus in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis. Fortitudo mea, et refugium meum; spes mea a iuventute mea. Clamabo ad te, et exaudies me. Eripe me, et libera me. In te speraverunt patres nostri; speraverunt, et liberasti eos; ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te speraverunt, et non sunt confusi. Ne igitur avertas faciem tuam a me: quoniam tribulor, velociter exaudi me. Exaudi me in abscondito tempestatis. Emitte manum tuam de alto, et libera me de aquis multis. Eripe pedes meos a lapsu, et sis mihi in salutem, ut confitear Nomini sancto tuo; et cognoscant omnes gentes, quia non est Deus praeter te. Nos populus tuus, et oves pascuae tuae; et tu Deus noster, cui gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.

IN SALUTATIONEM ANGELICAM

Ave Maria, Regina coeli, cui Angeli ministrant; Domina terrae, cuius imperio omnis creatura servit. Ave Stella ex Iacob, quae post tenebras noctis adduxisti nobis lucem sempiternam. Ave Radix Iesse, quae germinasti Salvatorem mundi. Ave Porta orientalis, per quam nonnisi Dominus transiit. Ave Domus excelsa, quam Sapientia aedificavit sibi, ut habitaret in nobis. Ave Templum Spiritus sancti, qui supervenit in te. Ave Filia Principis, ave Mater Domini mei, ave Sponsa Spiritus sancti. Ave, ave, Maria. Oleum effusum Nomen tuum; ideo recti diligunt te: tu vero diligentes te diligis, et qui mane vigilant ad te, invenient te; qui autem te invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

Gratia plena. Tota pulchra es, et macula non est in te; invenisti enim gratiam apud Deum, qui Spiritu sancto replevit te ex utero matris tuae, ut de plenitudine tua nos omnes accipiamus.

Dominus tecum; quoniam ipse possedit te in initio viarum suarum, et ex ore Altissimi prodiisti primogenita ante omnem creaturam.

Benedicta tu in mulieribus. Sicut lilium inter spinas, sic Amica Dei es inter filias: multae filiae congregaverunt divitias; tu supergressa es universas: una columba eius, una perfecta: viderunt te filiae, et beatissimam praedicaverunt te, et reginae laudaverunt te, et beatam te dicunt omnes generationes.

Et benedictus fructus ventris tui Iesus. De te enim natus est Iesus, qui vocatur Christus, qui redemit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; cui benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio in saecula saeculorum.

Sancta Maria Mater Dei. Quasi cedrus exaltata es in Libano, et quasi cypressus in monte Sion, ex quo enim ascendisti in altum deliciis affluens, adstas Regina coeli a dextris Unigeniti Filii tui, amicta Sole, et in capite tuo corona Stellarum duodecim, positusque est thronus tuus, Mater Dei, quae sedes ad dexteram eius, et dixit tibi Rex: Pete, Mater

mea, neque enim fas est ut avertam faciem tuam.

Ora pro nobis peccatoribus nunc, et in hora mortis nostrae. Amen. Memento ergo nostri, Domina, qui sedemus in tenebris, et in umbra mortis, et ne obliviscaris familiae tuae, quam in Discipulo Iesus tibi de cruce commendavit, dicens: Mulier, ecce filius tuus. Deprecare pro nobis Filium tuum primogenitum in multis fratribus, ut remittantur nobis peccata nostra, ut dirigantur pedes nostri in viam pacis, et ut sequamur vestigia eius, donec, te protegente, moriamur morte iustorum, ut eum tecum semper laudemus, et superexaltemus; cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

ANTE STUDIUM

Dirigit anima studium in gloriam Dei; postulat veram sapientiam, et cognitionem Christi.

Deus altissime, qui doces hominem scientiam, a quo omnis sapientia venit, qui posuisti illam in visceribus hominis, dirige vias meas et studia mea in gloriam tuam. Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut suscipiam eruditionem doctrinae, et honorem te in mirabilibus tuis.

Da mihi cor, ut sciam te, ut non glorier in sapientia mea; sed in hoc glorier, scire, et nosse te; scire enim te consummata sapientia est.

Ut non iudicem me aliquid inter homines scire, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum, et existimem omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, qui tecum, et cum Spiritu sancto, est Deus benedictus in saecula saeculorum. Amen.

ANTE

LECTIONEM SPIRITUALEM

Desiderat anima, et orat, ut loquatur Deus.

Utinam, Domine, loquaris mecum, et aperias labia tua mihi, et sapientiam tuam audiat auris mea, ut intelligam timorem tuum. Inspiratio tua, Deus omnipotens, dat mihi intelligentiam.

Inclina cor meum ad cognoscendam legem tuam, et non abscondas a me sermonem tuum. Inclina aurem meam ad suscipienda eloquia tua; ad audiendam vocem verborum tuorum.

Qui de coelo fecisti audire vocem tuam, ut doceres populum tuum, fac me audire vocem tuam, ut suscipiam sermones tuos, et servem mandata tua, et faciam quod est placitum in conspectu tuo. Veniat super me sermo tuus, et assumant aures meae sermonem tuum, ut discam disciplinam, et attendam ver-

bis tuis; ut suscipiam ex ore tuo legem, et scribam illam in tabulis cordis mei, et custodiam illam quasi pupillam oculi mei, Domine Deus meus, cui laus et gloria in saecula saeculorum. Amen.

POST

LECTIONEM SPIRITUALEM

Delectatur anima in sermone Domini, et statuit illum custodire.

Gratias tibi ago, Domine, quia locutus es ad cor meum. Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes. Sermo tuus veritas est. Sermo tuus ignitus, et clypeus sperantibus in se. In memoria sermonum tuorum delectabor, et praecepta tua recondam mihi. Non recedent ab oculis meis. Custodiam illa in medio cordis mei; vita enim sunt invenientibus ea. Et propter verba labiorum tuorum ego custodiam vias duras.

Permaneat in me, Domine, verbum

veritatis, quod audivi, ut opere illud compleam, et sermo tuus conservet me, ut faciens veritatem in charitate, crescam, et fructificem in omni opere bono, digne ambulans coram te, quem decet gloria in saecula saeculorum. Amen.

ANTE REFECTIONEM

Deus praebens corpori alimentum; cibus animae verbum Dei.

Domine Deus meus, qui Angelorum esca nutrivisti populum tuum, qui das escam omni carni, qui imples cibo et laetitia corda nostra, gratias ago tibi, quia parasti mihi mensam ex iis, quae dedisti servis tuis, ut refectus et confortatus serviam tibi in timore sancto.

Benedic, Domine, haec dona tua, et sumam cibum cum exultatione et simplicitate cordis, collaudans te, et sive manducans, sive bibens, in gloriam tuam faciam, gratias agens tibi.

Reficiatur spiritus meus verbo tuo; dulcia enim sunt faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Fac ut delecter, non cibo qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam. Meus cibus est facere voluntatem tuam, Deus meus, cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

POST REFECTIONEM

Gratiae Deo pro refectione; et oratio pro sancta conversatione.

Refecisti me, Domine, cibo et potu. Dedisti mihi vires, et cibasti me, et nutrivisti me cum iucunditate. Benedicam te pro iis, quae dedisti mihi, et laudabo Nomen sanctum tuum, qui pascis me a iuventute mea. Timebo te, et serviam tibi cunctis diebus vitae meae.

Et nunc, Domine, custodi me, ut secundum sanctae Legis constituta sit conversatio mea, et sim exemplum in verbo, et charitate. Guberna linguam, et dirige cogitationes meas. Pone custodiam ori meo, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et non perdat me lingua mea; sed in sancta conversatione permaneam, et sim acceptus coram te, et hominibus, et cum servis tuis glorificem te nunc, et in saecula saeculorum. Amen.

IN VISITATIONE SS. EUCHARISTIAE

§. I. *Admiratio.*

Quis poterit stare in conspectu vultus tui, omnipotens Deus altissime, et in conspectu ardoris tui quis poterit sustinere? Ergo ne credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si coelum et coeli coelorum non te capiunt; quanto magis domus ista?

Tu, Domine, Deus universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitationis tuae fieri in nobis. Posuisti tabernaculum tuum in medio nostri, et habitas nobiscum. Nos populus tuus, et tu Deus noster.

Vere tu es Deus absconditus; Deus Israel; Salvator; gloria templi, et altaris tui. Qui habes in coelis habitationem, elegisti sanctuarium in loco isto, ut sis ibi nobiscum in perpetuum. Prope es, Domine, invocantibus te, invocantibus te in veritate. Vere non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropin-

quantes sibi, sicut tu Deus noster ades nobis.

§. II. *Gaudium.*

Beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, et circumdant altare tuum, Dominator omnis terrae, et conversantur tecum: non enim habet amaritudinem conversatio tua, nec taedium convictus tuus; sed laetitiam, et gaudium.

Quam pulchra tabernacula tua Iacob, et tentoria tua Israel! Ut valles nemorosae, et horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quae fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria tua. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

Exulta, et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Confortare omnis populus terrae, quia Deus noster nobiscum est, et repletur domus haec sancta gloria Maiestatis eius. Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum. Deus magnus, et po-

tens, et omnipotens super omnia opera sua.

§. III. *Timor.*

Quis non timebit te, Domine, et magnificabit Nomen tuum? Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui? Magnificus in sanctitate; terribilis, atque laudabilis; faciens mirabilia. Magnus vehementer, et mirabilis potentia tua. Magnus fortitudine; laudabilis nimis, et horribilis super omnes Deos.

Tremiscant omnes, et paveant te: tu enim Deus vivens, et aeternus in saecula. Paveant ad sanctuarium tuum. Paveant a facie Nominis tui; a terribili nomine Maiestatis tuae.

§. IV. *Adoratio.*

Ecce omnes Angeli, qui serviunt tibi die ac nocte in templo tuo, et stant in circuitu throni, et cadunt in conspectu throni in facies suas, et adorant te Deum viventem in saecula saeculorum.

In conspectu igitur Angelorum psal-

lam tibi, Deus meus, et adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor Nomini tuo: dignus enim es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, et benedictionem; quia tu solus es Dominus regum omnium terrae, et Dominus dominantium.

Regnum tuum regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione, et generatione. A Solis ortu, et occasu, magnum in gentibus Nomen tuum. Potestas tua in aeternum. A saeculo, et in saeculum tu es Deus.

§. V. *Laus.*

Benedictus in templo sancto gloriae tuae, et laudabilis, et gloriosus in saecula: et benedictum Nomen gloriae tuae, quod est sanctum, et laudabile, et gloriosum in saecula. Benedictus super thronum sanctum regni tui; super sceptrum divinitatis tuae, et laudabilis, et gloriosus in saecula.

Benedicant te omnes Angeli, et Sancti tui; benedicant te coeli, et terra;

mare, et omnia, quae in eis sunt, et laudent te, et glorificent in saecula.

Gaudium, et laetitia coram altari tuo: gratiarum actio, et vox laudis. Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum, sonus suavitatis plenus, et laetitiae.

§. VI. *Zelus pro gloria Christi.*

Intrent in conspectu tuo omnes gentes in exultatione; in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus cantantes, et psallentes in cordibus suis in hoc atrio sancto tuo coram te, Domine.

Cadant in faciem super terram, adorare Dominum Deum suum, et dare preces omnipotenti Deo excelso. Adorent te in oblectatione sancta: glorificent te, quantumcumque potuerint; supervalebis enim adhuc, et admirabilis magnificentia tua.

Benedicant te, et exaltent, quantum possunt; maior enim es omni laude. Exaltantes te, repleantur virtute, et narrent laudes tuas, et mirabilia tua, quae fecisti.

§. VII. *Excitatio ad adorandum Christum.*

Venite gentes, et adorate Dominum. Date gloriam Nomini eius. Venite in conspectu eius, et adorate Dominum in decore sancto.

Afferte Domino familiae populorum; afferte Domino gloriam, et honorem; afferte Domino gloriam, et imperium. Adorate Dominum in atrio sancto eius. Omnes Dii gentium daemonia; Dominus autem coelos fecit. Confessio, et magnificentia coram eo, fortitudo, et gaudium in loco eius.

Date magnificentiam Deo nostro. Cantate ei, quoniam magnifice fecit. Annunciate hoc in universa terra. Curvate genu Deo excelso. Cantate ei canticum novum: laus eius ab extremis terrae.

Confitemini Deo deorum; quoniam in aeternum misericordia eius. Confitemini Deo coeli, quoniam in aeternum misericordia eius. Confitemini Domino dominorum; quoniam in aeternum misericordia eius.

§. VIII. *Christus latens in Eucharistia.*

O Bone Iesu, qui posuisti velamen super faciem tuam, et ponis nubem vestimentum tuum, ex quo abscondisti speciem decoris tui, quis est, qui contempletur te? Quis intelliget in absconditis tuis, Domine? Et abscondita tua, quis revelabit? Sed etiam nubes spargit lumen suum, et gloria tua apparet in nube. Abscondita et gloriosa Maiestas tua. Laetatum est cor meum in abscondito tabernaculi tui, in abscondito faciei tuae.

§. IX. *Confusio, et humiliatio coram Christo.*

Deus meus confundor, et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates meae multiplicatae sunt nimis, et delicta mea creverunt usque ad coelum. Excitavi iracundiam tuam: exacerbavi te, Deus aeterne. Sanctum tuum violavi in omnibus offensionibus, et in cunctis abominationibus meis. Peccavi: inique egi: iniquitatem feci: recessi, et

declinavi a mandatis tuis; et non ambulavi coram te.

Sed tibi, Domine, misericordia, et propitiatio; Deus magne, et terribilis, custodiens pactum, et misericordiam, et ignoscens super malitia. Deprecabitur te servus tuus, et placabilis ei eris, et videbit faciem tuam in iubilo. Ne abscondas faciem tuam a me: ne proiicias me a facie oculorum tuorum; et ne expellas me de conspectu sanctuarii tui.

§. X. *Desiderium cognoscendi Christum.*

Dilecte Iesu, qui stas post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, quis videbit te, et enarrabit?

Ostende mihi faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere; ut sciam te; ut inveniam gratiam coram oculis tuis; ut videam gloriam tuam; et pulchritudinem candoris tui miretur oculus meus.

Ecce tu pulcher es, et decorus, et valde speciosus in splendore tuo. Ad te oculos meos dirigo, ad te faciem meam converto.

§. XI. *Ardor animae coram Christo.*

Tu ignis perpetuus, qui numquam deficit in altari. Egrediatur igitur ignis a facie tua, et inflammet corda filiorum hominum, qui stant in circuitu mensae tuae.

Oculi tui ut lampas ardens; et facies tua sicut Sol lucens in virtute sua. Species gloriae tuae ut splendor ignis flammantis. Effunde in me spiritum tuum, spiritum ardoris tui; et sit cor meum ante altare tuum sicut thus ardens in igne.

§. XII. *Effectus praesentiae Christi.*

Fiant oculi tui aperti super servum tuum. Et exaudi me, sicut caecum clamantem in via: Domine, ut videam: et sequar te, magnificans gloriam tuam. Respice in me, sicut mulierem respexisti, quae erat in civitate peccatrix; et incipiam lacrymis rigare pedes tuos. Sicut respexisti Petrum negantem te, et flebo amare peccata mea; sicut vidisti homi-

nem iacentem in grabato, et sanus erit servus tuus ab infirmitate sua.

§. XIII. *Spes videndi Christum in gloria.*

Dominus meus, et Deus meus, in cuius conspectu sto, in quem nunc quoque non videns credo, quem diligo, et adoro, et credens exulto laetitia inenarrabili; donec videam te in Sion monte sancto tuo, in coelo, ubi est sedes tua, quando elevabitur nubes de tabernaculo, et adimplebis me laetitia cum vultu tuo, et satiabitur oculus meus videns gloriam tuam.

§. XIV. *Preces animae ad Christum.*

Nunc autem, Domine, cum angustiaretur in me anima mea, recordatus sum tui, ut veniat oratio mea ad templum sanctum tuum: tu enim in nobis es, Domine, et Nomen sanctum tuum invocatum est super nos. Ne derelinquas nos, Domine Deus noster.

Ecce sto in sanctuario tuo; in taber-

naculis fiduciae. Tabernaculum tuum, Domine, umbraculum, securitas et absconsio.

Effundo animam meam in conspectu tuo, et tribulationem meam coram te pronuntio.

Levo ad te manus meas in loco sancto, quem elegisti, ut ponas Nomen tuum ibi, et habites in eo, et sciant inimici nostri, quia nobiscum es.

Attende, et vide de hoc habitaculo sancto tuo, et gloriae tuae, et exaudi orationem, quam orat ad te servus tuus in loco isto.

Sint oculi tui aperti, et aures tuae erectae ad deprecationem nostram, et exaudi nos in universis, pro quibus invocaverimus te, et sciant omnes populi, quia tu es Deus, et non est ultra absque te. Tu es Deus conspector saeculorum, et non est similis tui in coelo, et in terra.

§. XV. *Pro liberatione a malis.*

Si irruerint super nos mala, gladius, pestilentia, et fames; si clauso coelo pluvia non fluxerit propter peccata popu-

li; stabimus coram domo hac in conspectu tuo, et clamabimus ad te, et clamabimus, salvosque facies.

Et si peccaverit tibi populus tuus, et egerit poenitentiam in corde suo, et conversus deprecatus fuerit te, exaudies orationes eorum, et propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum, et dabis misericordiam coram eis; populus enim tuus, et haereditas tua est.

Respice super hanc domum, in qua invocatur quotidie Nomen sanctum tuum, et ne cogites super illam malum. Universae facultates et familiae in conspectu tuo sunt. Sint omnia nostra sub lege tua. Nos servi tui sumus.

Non avertas faciem tuam a nobis. Memento misericordiarum tuarum. Ecce fundimus preces nostras, et humiliamus tibi animas nostras, et petimus misericordiam ante conspectum tuum, Domine Deus noster; ut timeamus te, et ambulemus in viis tuis cunctis diebus, quibus vivimus super faciem terrae: et custodiamus pactum tuum, et benedicamus semper Nomini sancto tuo.

§. XVI. *Desiderium manendi cum Christo, et pro securitate in divino iudicio.*

Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae. Da mihi, ut appaream quotidie ante faciem tuam coram altari tuo, et maneam ibi iugiter; ut tu maneas mecum in diebus peregrinationis meae, et in aeternum; et sim securus a facie tua, quando videbo te venientem in nubibus coeli cum virtute multa, cum potestate magna, et maiestate. Tibi gloria in Ecclesia in omnes generationes saeculorum. Amen.

§. I. *Exaltatio Virginis.*

Benedicta a Domino Deo excelso prae omnibus mulieribus super terram. Te elegit Dominus Deus Israel, ut sederes in throno regni tui in sempiternum.

Benedictus Dominus, qui exaltavit te, et adornavit plusquam omnes mulieres, et habuisti gratiam et misericordiam coram eo, et posuit diadema regni in capite tuo, fecitque te regnare.

Dominus exaltatio tua, qui contulit splendorem tibi, et ampliavit te, ut incomparabili decore omnium oculis appareres.

§. II. *Laudes Virginis.*

Tu pulchra nimis, et decora facie: tu formosa valde: tu gloria Ierusalem: tu laetitia Israel: tu honorificentia populi nostri: tu speciosissima inter filias, quae placuisti in conspectu Domini; qui Nomen tuum ita magnificavit, ut non excidat laus tua ab ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in aeternum.

Tu hortus conclusus: fons signatus: favus distillans labia tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Emissiones tuae paradisus: flores tui fructus honoris et honestatis. In te omnis gratia viae et veritatis: in te omnis spes vitae et virtutis. Memoria tua in generationes saeculorum.

§. III. *Amabilitas et admirabilitas Virginis.*

Tu Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. Te Dominus quasi sponsam decoravit corona, et quasi sponsam ornavit monilibus.

Tu amabilis Domino, eo quod te diligat Dominus, qui te amabilem fecit; ideo es nimis amabilis timentibus te.

Tu diligentes te diligis, et thesauros eorum reples; tecum enim sunt divitiae, et gloria, opes superbae, et iustitia.

Tu admirabilis in conspectu potentium, et facies Angelorum mirabuntur te: vas admirabile: opus Excelsi: civitas Regis magni: templum Dei vivi: habitaculum Spiritus sancti: radix Iesse, de qua flos

ascendit; flos campi, et lilium convallium, super quod requievit Spiritus Domini.

§. IV. *Excellentia Virginis.*

Quis potest dicere: mundum est cor meum? Purus sum a peccato? Tu speculum iustitiae, et sine macula. Tota pulchra es, et macula non est in te, quae nimium placuisti oculis Dei nostri.

Dominus possedit te in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata es, et ex antiquis, antequam terra fieret.

Respexit te Dominus ancillam suam; et beatam te dicent omnes generationes, quia fecit tibi magna, qui potens est: et beata, quae credidisti, quoniam perfecta sunt in te, quae dicta sunt tibi a Domino; et qui creavit te, requievit in tabernaculo tuo.

§. V. *Victoria Virginis.*

Tu Ancilla Domini, et Mater, in qua adimplevit Dominus misericordiam suam, quam promisit domui Israel, et interfecit manu tua hostem populi sui.

Tu illa mulier, inter quam, et serpentem, posuit Deus inimicitias. Contrivisti caput eius. Manus Domini confortavit te, et ideo eris benedicta in aeternum.

Benedictus Dominus, qui tradidit hostem in manu tua, et confodit eum. Benedictus Dominus, qui fecit coelum, et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum.

§. VI. *Protectio Virginis.*

Tu civitas refugii, ad quam venient gentes ab extremis terrae: fortitudo nostra: robur nostrum, et refugium nostrum in die tribulationis. In Nomine tuo fiducia fortitudinis, et filiis tuis eris spes.

Inveniat igitur servus tuus fiduciam, et oret coram te; faciet enim Dominus quidquid tibi placuerit. Deprecaberis pro me, et liberabis me ab iniquitate mea. Rogabit te populus tuus, ut in aeternum custodias illum, quae tuam portionem signis evidentibus protegis.

Protege urbem hanc, et familiam, in qua invocatur quotidie Nomen sanctum tuum, et salva eam propter te. Ne re-

trahas manum tuam ab auxilio servorum tuorum.

§. VII. *Invocatio Virginis pro sancta morte.*

Quae stabas iuxta crucem, quando Omnipotens replevit te amaritudine, adsis mihi famulo tuo in hora tribulationis, et da mihi fiduciam, ne timeam in die furoris Domini.

Pone me in foraminibus petrae, in caverna maceriae, in vulneribus et latere Filii tui Iesu Christi, et protege me dextera tua, donec transeam. Libera me de omni angustia, et da mihi salutem; in te enim, et in Nomine tuo habet servus tuus fiduciam.

Dissolvantur in specie faciei tuae inimici mei, et deduc me in vitam aeternam; ut indutus vestimentis laetitiae videam te, et dilectum Filium tuum Iesum Christum, quem beatus venter tuus portavit, quem beata ubera lactaverunt: qui vivit, et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

IN TRIBULATIONE

Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit? Dominus mortificat, et vivificat: deducit ad inferos, et reducit; bona enim et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt. Ergo sicut Domino placuit, ita factum est; sit Nomen Domini benedictum. Nonne Deo subiecta erit anima mea? quoniam ab ipso patientia mea.

Hoc enim pro certo habet omnis, qui te colit, Domine, quod vita eius si in probatione fuerit, coronabitur; si enim compatimur, et conregnabimus. Si fuerimus socii passionum, erimus et consolationum: per multas enim tribulationes oportet nos intrare in Regnum tuum, Domine, qui dicebas ad omnes: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. Igitur haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcas, nec contradicam sermonibus Sancti. Dominus es; quod rectum est in oculis tuis facias.

Fiat voluntas tua sicut in coelo, et in terra.

Inspiciam et faciam secundum exemplar, quod mihi in monte monstratum est. Levabo oculos meos in montem, unde veniet auxilium mihi.

Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: et conversus consolaberis me. Conversus et ego sum ad te, Domine, in aerumna mea, dum configitur spina. Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi eius; quia venit tempus. Ne itaque derelinquas me in tempore tribulationis. Ne sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis; sed facias cum tentatione proventum.

Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me. Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi. Et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriae, et de luto faecis; et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos; et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.

FINIS

INDEX

EORUM QUAE IN OPUSCULO CONTINENTUR

IN EXCITATIONE MATUTINA

PRECES VESPERTINAE

Examen conscientiae.

Affectus animae compunctae ad Deum.

Ante somnum.

ANTE SACRUM VEL IN AUDITIONE SACRI

ANTE CONFESSIONEM SACRAMENTALEM

POST CONFESSIONEM SACRAMENTALEM

ANTE COMMUNIONEM SACRAMENTALEM

POST COMMUNIONEM SACRAMENTALEM
VEL POST SACRUM

ACTUS FIDEI

ACTUS SPEI

ACTUS CHARITATIS

IN ORATIONEM DOMINICAM

ANTE REFECTIONEM

POST REFECTIONEM

IN VISITATIONE SS. EUCHARISTIAE

AD B. VIRGINEM

HABITA FACULTATE